6

DISSERTATIO JVRIDICA
DE

JURISPRUDENTIA SYMBOLICA

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, ET RELIQVA,
ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS INDVLTV
JOH. TOBIAS HOFFMANN, D.
PRÆSES
ET
HENRICVS CHRISTIAN. BRESSLER,
SONDERSHVSANVS,
RESPONDENS
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTVNT
Die XI. Octobr. Anno M D CC XXVI.

IENÆ,
LITTERIS MVLLERIANIS.

Diss. jur. civ.
6,32

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/1
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Conspectus totius dissertationis.

Cap. I.
De symbolorum origine.

§. 1. Sistit homonymiam vocis remissive, exceptis paucis paulo rarioribus significationibus. §. 2. Definitionem. §. 3. Originem, homo scil. societate aliorum maximopere opus habet, §. 4. hæcce societas absque communicatione non potest subsistere, §. 5. lingua quidem ordinarium hujus communicationis est adminiculum, sed non sufficiens. §. 6. ergo ad signa est confugiendum hominibus, hæcque sunt vel naturalia, §. 7. vel artificialia, §. 8. horum cancelli & limites §. 9.

Cap. II.
De symbolorum vsu vario.

Vsus symbolorum quadrifarius §. 1. ea, quibus compendii & perspicuitatis gratia utimur, aut sunt eruditis propria, & quidem vel generalia §. 2. vel specialia, & hæc adhibentur vel in disciplinis theoreticis vel practicis §. 3. in hisce tamen non æque commode usurpantur, causæ autem eorum introductorum a Pythagora §. 4. ab Aegyptiorum Theologis, a summo Numine in Theologia Judæorum, a Germanis antiquis, & Græcis modernis §. 5. interdum tamen moralibus negotiis commode inseruntur §. 6. aut extra eruditionis campum in negotiis variis occurrunt §. 7. abusus symbolorum varius §. 8.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/3 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Cap. III.
De ſymbolorum in Jurisprudentia uſu.

Quævis jurisprudentiæ ſpecies mutua opus habet communicatione, ergo vel verbis eget vel ſignis §. 1. & quia Jurisprudentia circa externas ſolummodo verſatur hominum actiones, eo majorem hæc noſtra diſciplina ex ſymbolis haurit commoditatem, hincque utimur vel generalibus §. 2. & quidem diverſimode vel arcanæ communicationis gratia §. 3. vel brevitatis & compendii cauſa §. 4. vel ſpecialibus, quæ proinde admittit jus naturæ & gentium §. 5, non reſpuit jus civile Judaicum & Romanum §. 6. maximopere approbat jus Canonicum §. 7. æque ac jus Germanicum tam antiquum quam novum. §. 8. Abuſus ſymbolorum in jure §. 9. de interpretatione eorum §. 10. præcipue ambiguorum §. 11.

Cap. IV.
De præcipuis quibusdam in jure occurrentibus ſymbolis.

Magnus numerus ſymbolorum prohibet eorum recenſionem abſolutam; quemadmodum & noſtri non eſt inquirere in rationem imaginum electarum §. 2. Specimina quædam ſymbolorum ad jus publicum pertinentia §. 3. item ad jus eccleſiaſticum §. 4. exempla juris feudalis, tam in inveſtitura, quam præſtatione ſervitiorum occurrentia §. 5. exempla juris criminalis tam in variis pœnarum generibus quam proceſſu criminali. §. 6. Tandem exempla juris civilis, ex jure perſonarum, in re, ad rem, & proceſſu civili collecta.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/4
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

CAP. I.

De *Symbolorum origine.*

§. I.

Licet juxta notum canonem (quem Moller in Homonymoſcopia oraculum *εμμετρον* & dictum ex tripode, ſatis magnificè prædicare amat) errorum genetrix ſit æquivocatio ſemper: & ſane illa ipſa, qua hanc tractationem inſcripſimus, vox non careat ambiguitate & variis iisque in diverſum tendentibus ſignificatibus; nemo tamen nobis vitio vertet, ſi eas, quæ cum noſtro non conveniunt ſcopo vel plane non, vel ſaltem per tranſennam attingimus, acceptiones. Harum enim communiſſimas exhibent Martini *in Lexico philoſophico:* Hoffmann. *in Lexico univerſali.* Du Freſne *in Gloſſario*, Pitiſcus *in Lexico antiquit.* Monfaucon *l' antiquité expliqueé Tom. 3. P. II. p. 361.* Gyraldus *in præfat. ad Symbola*

Pythagor. T. II. operum suorum. Beroaldus *de symbolis Pythag.* Svidas *in Lexico*, & præcipue Kircherus *in Oedip. Ægypt. T. II. Cl. 1. c. 1. seqq.* varia quæ huc pertinent, momenta explicat. Singularis autem est ea, quam Tomasinus *de tesseris hospitalitatis* in thesauro Gronovii T. 9. refert, *scil. symbolum*, uti Julius Pollux definit, *est tenue quoddam numisma, semisecta sc. numi pars parvi ad modum pretii, quo vendens & emtor comprehenduntur & confirmantur.* Sic & ea non semper occurrit definitio, quam Constant. Harmenopulus Lib. I. *Promtuarii Jur. Civ. Tit. 8.* exhibet: *est commentarium seu descriptio conventorum & contractuum sive pactorum inter se mutuo contrahentium & convenientium.* Usitatiorem quidem significationem deprehendimus in loco Plauti; qui est in Pseudolo actu I. scen. I. singulare tamen quid fovet, quoad genus nostræ vocis, quippe quod masculinum verba sequentia constituunt:

Ea causa miles hic reliquit symbolum
Expressa in cera ex annulo suam imaginem,
Ut qui huc adferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret.

§. II.

Missis autem omnibus quæ ex synonymia & homonymia, quam vocant, oriuntur ambagibus, satis uti credo, nostro muneri faciemus, si quid nobis sit symbolum, exponemus. Est itaque signum, ex rebus, earumque externa forma desumtum, explicandis communicandisque invicem sensis inserviens. Sed jam videndum, quid homines eo, ut hoc ens morale introduxerint, commoverit.

§. III.

Scil. fontem plurimarum, quæ hominem hac in vita beatum reddere possunt, felicitatum, quilibet agnoscet societatem aliorum hominum, qui considerat infantem mox natum illa carentem, vix ac ne vix nisi per miraculum posse vitam servare; qui pensitat, talem cui tam singularis fato plane singulari contingeret quidem extra consortium sibi similium educa;

educatio, extiturum tamen, sibi semper relictum, non hominem sed bestiam forma humana præditum; qui tandem perpendit jam educatum instructumque ab hominibus, horum autem a commercio plane remotum innumeris commoditatibus privatum, miseriis autem innumeris, quas societas vel plane aufert, vel tolerabiliores multo reddit, obrutum, semper debere vivere.

§. IV.

Quemadmodum autem quilibet intelligit societatem hancce, quatenus tantorum commodorum scaturigo dicitur, non posse subsistere intra fines & cancellos solius contubernii comitatusque mutui, siquidem alias brutorum conventicula ejusdem essent cum societatibus humanis naturæ, quod tamen ipsa refutat experientia: ita haud inepte Aristoteles genuinum ipsius fundamentum indigetans *Polit. Lib. I. c. 2.* *hoc*, dicit, *inter cætera animalia hominibus proprium est, ut boni & mali, justi & injusti, aliorumque hujusmodi habeant sensum. Horum enim communicatio & societas facit domum & civitatem.* Et Plinius in hist. nat. explanationem animi homines a feris distinguere non inepte asserit. Quapropter homines ita uniti, ita consociati, ut sibi invicem adsint, unus alterum instruat, is qui abundat rebus ad vitam sustinendam pertinentibus, alteri iisdem carenti succurrat, operas unus alteri præstet, est necesse. Hæc autem omnia qua ratione possunt fieri, nisi unus, quid velit, alteri impertiat, nisi quilibet cum proximo communicet?

§. V.

Dum itaque opus est, ut unus alterius sæpius imo sæpissime sciat & mentem & intentionem, de hac autem absque declaratione non constat (ut pote sine qua solus Deus interiores hominis motus cognoscit) hæc, qua ratione commode fieri possit, jam est inquirendum. Ipsa natura, dum singulari & mirifica linguæ structura hominem dotavit, vi cujus innumeris modis sonus potest variari, unde sermo pro-

manat, videtur hoc modo sufficiens, quo sensa animi exprimere & ita se aptum societati membrum exhibere valeat, remedium subministrasse: Verum qui considerat facultatem quidem varios edendi sonos immediate a natura concedi, significationem autem iisdem ex arbitrio hominum esse impositam (paucissimis exceptis exclamationibus sive lætitiæ sive tristitiæ subitaneum affectum exprimentibus, & quas fortassis plane naturales vocare licet, quo pertinet *l. 19. §. 1. ff. de officio Præsidis*, prohibens, quo minus precibus calamitosorum illacrymetur præses, *id enim*, sunt Callistrati JCti ibi verba, *non est constantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit*,) deprehendet, hoc sermonis artificium propter certitudinem, quæ illud ordinarie comitatur, reliquos quos scimus modos, de cogitatis nostris alios certiores reddendi longe quidem præstare; sed & cognoscet facile, idem non ubique sufficere. Sermo enim usum, quem quærimus, non potest præstare, nisi singuli colloquentes, quid sub sonis ore expressis intelligi volunt, & sciant & consentiant; alias enim colloquium ipsum plane erit supervacaneum: antequam autem significationes sibi communes addiscunt, non parvo & accuratissimi & diligentissimi sæpius temporis spatio opus habent. Quid autem si periculum est in mora? Quid si urgens instat necessitas & sine communicatione esset pereundum? ad aliud itaque præter sermonem est refugiendum remedium; quod & mutis omnino est commendandum, ut pote quos, licet plane ad sermonem inhabiles sint, in societate tamen ut toleremus, est necesse; quibus & accensere lubet eos, quos mutos moraliter tales non inepte vocabis, scilicet ex superstitione singulari se ipsos optimo naturæ dono, linguam puto, privantes, silentiumque perpetuum affectantes; cujus generis portentosæ religionis artifices non solum paganorum, qui dicuntur, cœtus, sed & Christicolarum ecclesiæ quædam fovent, de quibus infra. Imo cum plures semper sint rerum figuræ, quam sonorum modulationes receptæ, quid quod orian-

oriantur quotidie, nova nomen merentia momenta, & hisce in casibus alterius quam linguæ beneficio homines, ut utantur, coguntur.

§. VI.

Nihil autem, ipsa lingua excepta, commodius imo & naturalius cognoverunt, quo explanare unus alii necessaria valebat, quam illud, quod §. 2. definivimus, symbolorum artificium. Scilicet dum percipiebant tot documenta in sensus externos incurrentia, rerum variarum præsentiam testantia; dum auroram solis mox orientis, fumum ignis observabant indices, aliaque hujus generis plura, quæ signa naturalia Puffend. lib. IV. de J. N. & G. aliique vocare amant; alma quasi natura duce & magistra homines ea addiscebant, eademque ad significandum inter se adhibebant. Hinc & quo facilius horum cognitio patebat, eo frequentiora eorum & apud antiqnissimas gentes deprehendere licet vestigia: optime itaque Gundlingius T. II. Gundlingian. rem exponit, denn, dicit, je einfältiger und simpler als ein Volck ist, je mehr Symbola brauchet es; je mehr Cörperlicher Zeichen bedienet es sich, damit die Sache, welche dieses nicht so geschwinde fassen würde, ihren Sinnen desto näher geleget werde. Diodori sane Siculi ratiocinatio, quam habet lib. I. licet ad primos hominum conditores non quadret, utpote quorum historiam certissimam Sacrosanctus Codex, & quidem diverso modo refert, cum natura tamen hominum admodum convenit, & pluribus in locis, ubi novæ coloniæ, novæ societates confluxere, res ea, uti hic autor recenset, ratione peracta est; digna autem sunt, quæ hic apponamus, verba: *Homines*, ita loquitur Diodorus, *primitus nati vitam inconditam & belluinam egerunt: ut qui sparsim ad pascua exiverint, ac sapidissimam quamque herbam, ac sponte natos arborum fructus comederint. Cumque a feris infestarentur, mutuo sibi opitulari usu edocti, & metu ad societatem addacti, paulatim cognatas inter se formas agnoverunt. Voce autem adhuc con-*

fusa & nihil significante, pedetentim verba articulate pronunciando, & signis unamquamque rem subjectam notando, elocutionem tandem omnium rerum sibi notam fecerunt. Ipsam hanc Diodori doctrinam in actum perduxerunt, universali ratione docente, Anglus ille & Africana mulier locis in desertis forte fortuna convenientes, quorum fata enarrat Moquet *in peregrinationibus suis p. 83.* & plura hanc doctrinam illustrantia exempla ex aliis hujus generis libris facile possent cumulari, si ex re nostra foret.

§. VII.

En prima symbolorum incunabula! quæ autem quo antiquiora, eo simpliciora, & cum ipsis, a natura proficiscencentibus signis, convenientiora. Id quod si non aliunde, luculentissime sane ex historia ipsarum literarum potest declarari. Hic vero aliis decidendam relinquimus quæstionem ancipitem, utrum eo ipso tempore, quo homines lingua uti coeperunt, simul & invenerint characteres, quibus materiæ cuidam impressis significaverint voces alias ore exprimendas; ubi Reinman *in prodromo hist. lit.* Schilter *in notis ad Chronicon Koenigshoven* affirmativam; Heumann autem in *actis Philos. T. 1. p. 806.* negativam opinionem latius tuentur: Id modo observantes, characteres illos naturales, quos Helmontius vocat, & in tractatu, quem inscribit: *Alphabeti vere naturalis Hebraici* delineationem, & exhibet & operose explicare conatur, meris constare fictionibus. Ast, si antiquissimas, quas eruditi nobis conservarunt, variarum gentium literas inspicimus, earum plurimas a signis rerum naturalibus esse desumtas, deprehendimus; quo apprime facit discursus Reinmanni, quem historiæ literariæ antediluvianæ inserit pag. 107. cujusque hic verba lubet apponere: **Es scheinet gar gebräuchlich, daß die Menschen sich anfangs derer *hieroglyphi*schen, *Symboli*schen und *emblemati*schen *characteren*, bedienet, theils, weil dieses die aller einfältigste, leichteste, und natürlichste**

ste, theils auch, weil es nach dem Zeugniß derer aller ältesten *Scribenten*, die aller älteste Art zu schreiben ist, die weiland bey denen *Ægyptiern* gebräuchlich gewesen, und noch biß *dato* bey denen Chinesern gebräuchlich ist. Et quidem de Chinensibus accuratus eorum observator Spizelius in Commentario de re literaria Sinensium pag. 52. ita scribit: *Ante omnia notandum, literaturam Sinensium recentiorem a vetustiori maximopere discrepare. Primo siquidem ex omnibus ferme rebus characteres Sinenses composuerunt, ex animalibus puto, volucribus, reptilibus, piscibus, herbis &c. arborum item ramis, funiculis, filis, punctis, circulis, variis modis dispositis, atque formatis.* Ipsum autem hoc alphabetum, quod dicunt, exhibet Ludovicus le Comte *dans ses memoires sur l'etat present de la Chine.* Ægyptiorum autem mentionem facit Tacitus *annalium lib. 2. num. 14.* quod primi per figuras animalium sensus mentis significaverint, & uberius hoc explicat, eorumque antiquum literas exarandi morem ita describit Diodorus Siculus lib. 3. *de literis*, scribens, *quas hieroglyphicas Ægyptii nominant, aliquid dicendum est. Primæ autem istarum variis bestiis & hominum membris, instrumentis fabrilibus potissimum assimiles sunt. Nam ars apud eos literaria non compositione Syllabarum sed descriptarum imaginum significatur, & translatione per exercitationem memoriæ insculptæ, subjectam orationem exprimit & absolvit.* Ea quoque, quæ Pierius lib. 47. cap. 27. *hieroglyphicorum* observat, lectu sunt digna. Eandem simplicitatem referunt alia, quæ antiquitati placuere symbola, & ut ex innumeris unicum saltem afferam exemplum, acervi ex lapidibus rudibus plane exstructi apud primores, quorum sacer Codex historiam exhibet, gentes sæpius in signum arduorum gestorum negotiorum adhibiti nostram confirmant sententiam Vid. Genes. 31. v. 45. liber Josuæ IV. v. 3. &c.

§. VIII.

Quemadmodum autem facile potest, juxta proverbium,

inven-

inventis aliquid addi, ita & homines naturalibus illis signis eundem ob finem alia adjecere, quæ artificialia merito vocantur, prioribus vel non sufficientibus, vel, quia sæpius generalia & universalia nimis erant, explicationem facientibus dubiam. Et quod Spizelius eodem, quem §. 2. citavimus loco, de mutatione literarum Sinicarum refert, dicens: *Sinenses rerum usu doctiores, magnam in tanta animalium plantarumque congerie confusionem animadvertentes, charactères varie formatos in breviorem methodum consignarunt*, hoc sæpissime circa plura alia signa contigit; scilicet ut ex arbitrio novæ figuræ significandorum communicandorumque sensorum gratia excogitarentur. Quo magis autem artificialia, quæ vocantur, signa ab hominum, ea ex arbitrio & voluntate constituentium dependent, eo difficilius causa genuina hujus præ alia electæ speciei poterit monstrari. Et licet non crederem homines in hisce constituendis eadem usos fuisse libertate, quam in determinanda significatione sonorum, qui linguas efficiunt, usurparunt, ut pote in quibus præter id, quod aures afficit, nihil consideraſſe inventores, experientia docet, (id quod tamen de lingua Hebraica nolumus dictum) quia facilius rei signatæ cum signis aliqualem convenientiam, quam vocis cum re quam designat, similitudinem potuere deprehendere: licet etiam insuper quædam symbola mere artificialia, quorum infra aliquot occurrent exempla, ita sint comparata, ut prima statim facie combinationis fundamentum pateat: licet inde concludi posset reliquis etiam symbolis omnibus non deesse repræsentationis genuinam rationem: hanc tamen sæpissime vel plane non, vel non nisi maxima cum lucubratione explicatam dare valemus. Imo ipsa hæc nimium accurata inquisitio sæpius curiosa magis quam utilis existit, modo alias symbolo constet certitudo: nam dum sufficit intelligere quid sub signo lateat, non opus habemus subtili, cur hæc præ aliis forma fuerit proposita, notitia. Hinc Judæi impune ignorabant

rabant circumcisionis, aliarumque, quibus sacer eorum cultus erat refertus imaginum intrinsecam & veram significationem, acquiescentes in scientia, ea omnia sibi esse præscripta a Deo. Ubi autem extrinseca symbolum dignoscendi adminicula deficiunt, ad ipsam rem, ejusque formam erit confugiendum, ut ex hujus qualitatibus circumstantiisque naturalibus applicationis ad moralia factæ limites conjecturando assequamur.

§. IX.

Ex hactenus itaque dictis patet, unicum & genuinum eorum quæ §. 2. definivimus symbolorum finem esse quærendum in mutua communicatione ejus, quod quis mente tenet & quod alterum scire utriusque intereſt; hæc autem, quemadmodum ob varias easque diversissimas rationes vel necessitate vel commoditate jubente, initur, ita diversa homines signa mox clariora mox obscuriora, prout usus, de quo mox agemus, postulat, adhibuerunt. Hinc, modo hæc symbola sufficientem animi declarationem exhibeant, nihil plane quomodo effingantur, refert, ut pote quod imaginationis magis quam judicii est negotium. Inde & eadem fere inter gentes circa signa occurrit discrepantia, quam observare licet circa sermonem, quia ex eadem arbitrii libertate illorum eliguntur formæ, qua hujus soni valent ex impositione: id quod unicum inter millia exemplum, quod obiter in mentem venit, monstrat, colorum luctus signum præ se ferentium, ubi huic populo niger alii venetus rursus alii flavus placet. Dum autem commoditas haud contemnenda frequenti usui symbolorum occasionem dedit; dum eadem interactiones, quas vocant, morales adhibemus, quod capp. seqq. ulterius exponemus; licet quidem, quod jam asseruimus, libero hominum arbitrio ipse modus formandi & excogitandi relictus sit, ipse tamen eorum usus ut suos a legibus habeat cancellos, limitesque justos, necessitas postulat: quis enim non videt invento hoc nostro officia erga alios vel insigniter posse pro-

 move-

moveri vel insigniter lædi? Universales vero, quæ huc faciunt, sanctiones ex ipsa natura haurimus, & quidem hæ ipsæ, quæ sermonem determinant leges & hic locum inveniunt; eædemque, quas Puffendorffius, Grotius aliique juris naturalis interpretes sermocinantibus præscribunt, regulæ, possunt directe applicari ad homines suam conversationem signis instruentes. Quemadmodum itaque ille peccat, qui vocibus, ut alterum decipiat abutitur, sic & eadem ratione crimen horrendum gens committeret, quæ signo e. g. induciarum hactenus recepto aliam gentem induceret, & ita stragem & ruinam ejus promoveret. Quia autem a Doctoribus Juris nat. eædem hæ regulæ & expositæ & demonstratæ sunt, & earum ad nostram de symbolis doctrinam applicatio nullam omnino neque ambiguitatem, neque difficultatem gignit, merito eas omittimus. Specialiora autem, quæ interpretationem symbolorum faciliorem reddunt momenta vel pacta gentium vel jus populorum vel publicum vel privatum subministrat, id quod ex capite 3. & 4. quæ infra sequentur, clarius patebit. Finem itaque huic tractationi imponentes ad alium nos accingimus laborem.

CAP. II.

De usu Symbolorum vario.

§. I.

PRæmissis generalioribus fundamentis, jam ad specialiora, quæ symbolorum usum demonstrant, & ita ea commendant, momenta pergendum, ut propius ad nostrum, quem hac tractatione intendimus, scopum perveniamus. Scilicet mutua illa declaratio, quam societatis humanæ optimum fulcrum esse, §. 2. & 3. capitis anteced. & assertum & probatum, dedimus, prouti diversos habet fines, ita diver-

ſimode ut inſtituatur eſt opus ; & huic cum inſerviant ſymbola , horum & diverſa erit natura & diverſus uſus. Quem tamen ad quatuor revocare lubet capita, communem ſequentes philoſophorum doctrinam. Itaque ſigna noſtra adhibentur, vel compendii & brevitatis, vel perſpicuitatis vel arcanæ communicationis vel tandem inventionis , quam dicunt, gratia. Et quidem ultimum Symbolorum artificium, quia extra oleas eſt noſtras, commode omittimus, plurima autem ejus exempla occurrunt in arithmetica ſublimiori ſive algebra. Ejus quoque cujus inter recenſendum penultimo mentionem fecimus loco, ſigna utendi rationis explicationem pauciſſimis expedire poſſumus, quia ſingularior eſt reliquis, paucioribusque inſervit. Potiſſimam autem ejus partem exhaurit ars, quam ſteganographiam dicunt, vel cryptographiam, quo reſpexit ſine dubio Kircherus in Oedipo Ægyptiaco T. I. Cl. 1. c. 1. ſymbolum definiens per notam arcanioris myſterii ſignificativam. Hujus artis inter alia apud autores Romanos deprehendimus veſtigia apud Suetonium in Jul. Cæſare C. 36. & in Auguſto cap. 88. de quibus hiſtoriographus teſtatur, quod, quoties per notas ſcripſerint b pro a, c pro b ac deinceps eadem ratione ſequentes literas poſuerint, pro z autem duplex a: Inter Germanos autem ejus ſi non inventor primus tamen inſtructor prædicatur Trithemius ille ſatis famoſus de quo vide notatu digna in Reinmanni *introd. in hiſt. lit. P. 3. ſect. l. p. 256.* Quo communiores autem reliqui duo, quos per ſymbola obtinere quærimus, ſunt fines, eo frequentiora quoque ſunt ubique ea quæ huc referenda exempla.

§. II.

Sed hæc ipſa, quorum ope explicationi vel compendium vel perſpicuitas accedit ſymbola, aut ſunt rei literariæ propria, aut aliis & extra hanc inſerviunt commoditatibus ; primo de illis, poſtea de his agamus. Et quemadmodum fundamenta eruditionis ab aliis nobis debent impertiri, ita quilibet agnoſcit, opus eſſe communicatione, & per conſequens ſym-

bola commode posse adhiberi in propatulo est. Sed & inter hæc ea intercedit differentia, ut vel in omni eruditionis genere æque possint locum habere, vel huic aut alterius disciplinæ gratia in specie sint inventa. Generalibus, ut liceat ea ita vocare, annumeramus notas illas Romanorum tam tironianas, quibus loquentem scribendi celeritate adæquabant (unde & ita scribentes notarii primitus dicebantur) & quarum specimen exhibet Mabillon de *arte diplomatica* pag. 457; quam etiam singulas illas literas totam vocem significantes, quarum lapides & libri ex antiquitate Romana superstites sunt pleni; de quibus doctum reliquit Sertorius Ursatus *Thesauro Græviano* T. XI. insertum commentarium. Nec hic prætermittendam credo, methodum per signa informandi, a variis hactenus in variis disciplinis usurpatam, qua ratione quidam credidere discentibus subministrare adminiculum non solum citius hauriendi aliquid, sed & diu in memoria retinendi; scripta quæ huc faciunt, latius recenset Morhofii Polyhistor: & quantum hoc modo posset præstari, præcipue in instruendis tenuioris ætatis hominibus, exemplum mirandi infantis Lubecensis parvum ante temporis spatium & florentis & mortui comprobat. Vid. Merckwürdiges Ehren-Gedächtniß von des klugen und gelehrten Lübeckischen Kindes Leben und Todte. Præterea hujus generis signorum beneficio quidam eruditi linguam universalem, quam dicunt, sunt moliti, ita ut pictos in charta characteres ceu Morhofin Polybist. *T. 1. l. 4. §. 5.* loquitur, unaquæque gens patria lingua legere posset. Licet autem rectissime idem Morhofius ibidem recte judicet: *Qui linguam universalem moliuntur in vanum omnes videntur laborare; nam lingua ab uno homine confecta, utut speciosa & in rationibus philosophicis fundata, nullum habet usum nisi impetrari consensus possit;* signa tamen in linguis, alicui impertiendis posse adhiberi, nemo negat. Phœnices poeta quidam Gallus Brebeuf prædicat primos hujus artis inventores, sed fides sit penes autorem; ceterum versus non carent amœnitate, qui hic sequuntur:

Et

Et c' est d' eux (de Phœnicibus loquens) *que nous vient cet art ingenieux*
De peindre la parole, & de parler aux yeux,
Et par des traits divers, des figures tracées
Donner de la couleur & du corps aux pensées.

Ab iis jam quæ inventa sunt eruditionis universæ ornandæ gratia symbolis pergimus ad specialiora.

§. III.

Ipsæ autem, quas excolimus, disciplinæ sunt vel theoreticæ vel practicæ; priores commoditate ex symbolis resultante tam ob brevitatem, quam perspicuitatem non facile possunt carere, & ideo varia varii generis continent. Nescio enim quis improbare velit Astronomorum ad planetas designandos, excogitatos characteres, aliasque, per quas stellas distinguunt, figuras? Sic Logici compendium suæ doctrinæ per certa signa conciliare quæsiverunt; quemadmodum & Physici hocce moti commodo eadem prætermittere noluere, vide ea quæ Rudiger noviter formavit *in Physica divina:* & plus exemplorum afferri posset, si volupe esset Philosophorum scrinia compilare, quæ qui volet, adeat; præcipue autem hoc argumentum latius tractat Kircher *T. 2. p. 1. & 2. Oedipi Aegyptiaci.* Ast quod ad practicas attinet, uti vocant, disciplinas, quibus homines actiones morales juxta normam præscriptam addiscunt instituere, num & harum tractatio per symbola possit expediri & quidem sine incommodo discipulorum, non levibus videtur involutum dubiis. Scilicet, dum interiora hominis sint indaganda, & postea explicanda, dum bonum a malo accurate discriminandum, dum leges & actiones examinandæ, hæc sane circa quæ versantur tales disciplinæ, ejus videntur esse conditionis, ut signis ab externa rerum corporalium forma desumtis exprimi non possint; hinc & ea ipsa, quæ alibi symbola commendat, perspicuitas hic ferme exulat; dum sæpius difficile sit, plura, quæ hic occurrunt, anxia & dubia negotia verbis diligentissime exquisitis clare

exponere: quo ipso simul quoque corruit beneficium inde alias sperandum brevitatis, quia hæc quando obscuritatem parit, est respuenda. Quid quod Heuman in actis Philosoph. *P. II. c. 4. §. 28.* eo procedit, ut inter judicia falsæ Philosophiæ referat symbola, dicens: Es bestehet das fünffte Kennzeichen der unächten und falschen Philosophie darinnen, wenn eine philosophie sich unter dunckeln Räzeln oder Symbolis verbirget. Daß dergleichen philosophie müsse seyn eine falsche philosophie, davon fället der Beweiß in die Augen. Die philosophie soll mich lehren und gelehrt machen. Was wäre aber das vor ein närrischer Lehrmeister, der bey seiner Unterweisung sich der Türckischen oder sonst einer mir ganz unbekandten Sprache bedienete? Die Philosophie soll mir ein Licht seyn und meine Augen erleuchten. Die symbolische Philosophie aber führet mich aus einer Finsterniß in die andere.

§. IV.

Cum tamen hanc & quidem præstantissimam philosophiæ partem symbolis fuisse excultam & gentium & philosophorum historia testetur; jam qua via eorum amatores incesserint, & quemnam fortassis quæsiverint finem, ex aliquibus modo illustrioribus exemplis lubet monstrare. Præcipuum hic antesignanum eum, a quo, teste Cicerone *Tuscul. quæst. lib. 5. c. 3.* omnes fere, qui subsequentibus ætatibus inclaruere eruditi, nomen philosophorum accepere, liceat allegare, scil. Pythagoram; cujus methodus per symbola docendi est notissima, cujus, quæ adhuc supersunt, fragmenta doctrinæ rationem satis superque declarant. Cumque non ubique his arcanis his ænigmatibus usus fuerit, quippe Crotonienses, uti Justinus *lib. 20.* refert, docens, verbis plane simplicibus & perspicuis virtutis præstantiam, vitiorum turpitudinem prædicabat, & rationibus adductis ex ipsis rerum argumentis demonstrabat; eadem & facilitate, teste Stanlejo in ejus vita, pueros & mulieres erudivit, non absque causa interdum

terdum mutasse eum erudiendi modum facile potest præsumi. Non desunt, qui maximis hunc philosophum laudibus extolluut, qui dicta quasi divinitus revelata mirantur, & hinc sub ejus symbolis nescio quid extraordinarii latere putant. Inter quos audiamus modo Beroaldum *in Commentario* jam citato sequentibus verbis eum quasi in coelum ferentem: *Ea sunt symbola Pythagoræ, quibus per quædam quasi involucra pretiosos thesauros convelavit, & sacrosancta decreta contexit:* & alio loco laudes continuat: *Symbola Pythagoræ sunt indicia quædam & signa mysteriorum doctrinæ sanctioris, quibus sententiæ morales & salutaria documenta continentur. Quibus tanquam vasculis fictilibus thesaurus pretiosus includitur. Et plane hæc symbola leges quadantenus imitantur, quarum scriptum angustum est, interpretatio diffusa, parca sunt verborum, fœcunda sententiorum, foris corticosa, intus succosa, aliud sonantia, aliud significantia, quibus præcepta quædam catholica hoc est, universalia sunt involuta, ad vitam sancte beateque degendam valde congruentia.* Verum si ea quæ Stollius in der Historie der Heydnischen Moral p. 205. ex historia ejus vitæ & genuinis fontibus allegat momenta consideramus, eorum sententia satis fundata videtur, qui hunc tantis ornatum laudibus philosophum doctis impostoribus accensent; quo & apprime facit antiquissimum Timonis, quod Plutarchus in Numa profert testimonium, & quod ex eodem, quem jam citavimus, celeberrimo autore hic apponemus:

Pythagoram ad magicas studio qui Numinis artes
Transit & impostor tumidis illudere suetus
Verborum ampullis homines venatur inanes.

Hæc si ita se habent, haud adeo laudanda nostrum philosophum impulisse videtur causa suam symbolis ornandi doctrinam; & proinde licebit ipsi applicare verba Heumanni *p. 223. cit. loc.* Ich bin der Meynung die ungelehrte Ehrsucht, oder die Ehrsichtige Unwissenheit sey die rechte Mutter und zugleich die Säug-Ammen der symbolischen Philosophie; id

id quod argumentum idem autor eruditissimus exemplis curiosis fusius explicat subsequentibus ejusdem capitis paragraphis, quo lectorem remittimus. Num autem Pytagoras multos, qui eum hoc in doctrinæ genere secuti sunt, habuerit philosophos, jam nostrum non est inquirere, interim catalogus eorum, quem Stollius in der Anleitung zur Historie der Gelahrtheit p. 668. exhibet est admodum brevis; oriens plures olim protulit, qui pro genio fere communi populorum huncce tractum incolentium hujus generis imaginibus ludere amaverunt. Lepidam per signa disputandi methodum sistit fabula Accursiana, quam habet Glossa ad l. 2. ff. de O. J.

§. V.

Cum autem Pythagoras, quod ex historia ejus vitæ, quam Laertius & Stanlei exponunt, patet, præcipuam, qua polluit, sapientiam ex scholis Ægyptiorum hauserit, & inter hosce maximum symbolorum usum in omni eruditionis, quæ ibi floruit, genere deprehendimus, non mirandum, quod hosce populos imitatus parili modo discipulos imbuere maluerit. Præterea constat plurimos ex numero eorum, qui olim sophi postea philosophi audiebant, se non continuisse intra terminos disciplinarum humanarum, sedet sanctiora fuisse rimatos religionis fundamenta, Dei vel deorum, quos colebant, indagasse naturam, & ita summa quævis, uti vel credebant, vel magnificentius quam verius jactabant, exhausisse; quo sine dubio fastuosi Zenonis sectatores respexerunt, dum philosophiam teste Diogene Laert. in vita Zenonis & Stanlejo ibid. definiebant rerum divinarum & humanaram notitiam: non mirandum igitur quod & ipsa theologia gentilium sub symbolis fuerit proposita. Quod eo faciliu^s apud Ægyptios poterat accidere, utpote penes quos sacerdotes fere soli litterarum culturam possidebant, reliquis omnibus plane a scientiis remotis; qui hinc utraque, quibus populo rudi egregie imponere poterant, & sacrorum & litte-

rarum

rarum arcana quovis modo custodiebant. Hinc tam larga heroglyphicorum seges, quibus omnis Ægyptiorum religiosa doctrina continebatur, sine dubio orta est. Horum sacrorum signorum collectionem copiosissimam & Pierius & Kircherus jam aliquoties laudati exhibent, addita simul explanatione & quidem, uti Kircherus acerrime contendit, genuina; nisi pluribus vicibus genio magis indulgens, quam obscurissimorum ænigmatum assecutus significationem, falsa quævis substituerit. Historia sane, quam Tenzelius in discursibus menstruis, cujus autem fides sit penes autorem, de ipso narrat, testatur eum non semper bona egisse fide. Quidquid autem ipse Kircherus pro defendenda hac Theologiam docendi methodo affert, vix tamen ac ne vix suos, quos nimium veneratur, Ægyptios liberabit a suspicione & ignorantiæ & doli. Magnifica satis sunt ejus verba, dum *in Oedip. Ægypt. T. II. Cl. 3. c. 2.* ita declamat: *adhibuerunt Ægyptii ænigmata tam ad debitum sacris honorem & reverentiam conciliandam, quam ad evitanda pericula: neque enim operæ pretium existimabant ignaris rerumque inexpertis ea proponere, quæ cum ex se & sua natura altissima sint & obscurissima, facile eos, dum dicta sacra illotis, ut ajunt, manibus inexpiatisque animis temerario ausu accedere inconsultius præsumerent, in variarum opinionum errorumque præcipitia deducere poterant.* Nihil itaque obstabit, quominus eadem quæ §. anteced. allegavimus Heumanni verba, & hic applicemus; indicium malæ causæ satis clarum est, quod data opera sacerdotes Ægyptiorum rem alias difficilem adhuc multis modis difficiliorem reddiderint. Cave tamen, ne ineptissima horum impostorum nil nisi fraudem & superstitionem prodentia symbola iis accenseas signis, quæ summum & verum numen expresse & per miraculum tam Patriarchis, quos vocamus, quam populo Judaico inter alia, cultum sacrum definientia, præcepta proposuit, quorumque plura in libris foedus antiquum exhibentibus deprehendimus: horum enim

origo divina certo certius poteſt demonſtrari ; a quibus tamen, ne falcem in alienam meſſem immittere videamur, lubenter recedimus. Non poſſumus tamen non errorem ſatis enormem hic taxare ipſius Kircheri, *qui loc cit.* impuriſſimam Ægyptiorum theologiam ſcatentem ſtolidis ſignis non dubitat comparare cum ſacris illis & ex ipſo divinitatis fonte profluentibus imaginibus : verba ejus, ut eo clarius pateſcat, quo præconcepta opinio, & coecus ſæpius amor eruditos etiam posſit perducere, hic apponamus : *unde*, pag. 128. loc. cit. dicit, *arcana ſublimioris doctrinæ veteres per modum occultationis, qui eſt vere divinus, & maxime nobis teſte Clemente Alexandrino neceſſarius, abſcondere ſolebant in adyto veritatis ; verbumque revera ſacrum, Ægyptii quidem per ea, quæ apud ipſos vocantur, adyta ſacrarum traditionum reconditoria, Hebræi autem per velum ſignificarunt, licere ſolis iis adire, qui erant ex ipſis conſecrati, hoc eſt, Deo dedicati, quique circumciſis vitiorum cupiditatibus per ſuam in ſolum Deum charitatem operabantur. Hinc prophetiæ & oraculorum ſacrorum reſponſa ut plurimum dantur per ænigmata, ut ſubtiliter more ſuo in myſtica ſua theologia oſtendit S. Dionyſius Areopagita.* De Germanorum antiquorum theologia ſymbolica Hachenbergius in Germania media p. 282. hæc, quæ jam ſequuntur, enarrat : *ad poeticam mythicamque majorum noſtrorum theologiam propero, quæ per ſymbolicum cultum, non ex naturæ formula Deos Deorumque dedicabat nomina, ſed ex ſimilitudine quadam numen ac poteſtatem ejus adumbrabat. Sic Jovis ſimulacrum apud Celtas erat alta quercus & apud Suiones Saxonesque colebatur truncus rudis in altum erectus. Plura ejusmodi ſimulacra ſuis in ſignis ſymbolisque divinitatem effingentia, vide ſis apud Saxonem, tum Johannem Magnum, Crantzium, Chytræum, qui fuſius in gentis ſuæ hiſtoria cultum ſymbolicum paſſim deſcribunt.* Eorum, qui Chriſti nomen gerunt, ad cultum divinum externum applicata ſymbola, quorum æque maximus eſt numerus, hic omittimus, illud

ſaltim

saltim exempli loco allegantes, quod Misson in relatione suæ peregrinationis refert excerptum ex Græcorum Venetias incolentium modernorum religionis exercitio p. 295. ubi dicit: Es sind bey ihnen unzehlig viel Ceremonien und Geheimnisse zu beobachten. Wenn z. e. der Bischoff das Volck seegnet, so hat er in der rechten Hand einen Leuchter mit 3. Armen und darauf angesteckten Wachs-Lichtern, welches ein Sinnbild der Hochheiligen Dreyeinigkeit seyn soll. Der Leuchter mit zween Armen den er in der lincken hält, soll die beyden Naturen in Christo bedeuten.

§. VI.

Unicum, antequam hunce campum linquamus, hic addendum videtur momentum, scilicet, dum §. 3. asseruimus, non convenire satis bene disciplinis moralibus symbola hoc intellectum volumus, quod & §. 5. & 4. monstrant, si perspicuitatem & brevitatem inde tali doctrinæ conciliare volumus; ast eo ipso non plane ab hocce studiorum curriculo ea removenda esse, censemus: nam super est adhuc alius, cujus & supra mentionem fecimus, usus symbolorum, scil. ut eorum adminiculo mentem nostram teste cum quibusdam communicemus, quod & in ipsis negotiis moralibus prudentia sæpius injungit. Huc possumus referre sapientiam, quam Heumann *in actis Philos. P. II. p. 232.* arcanam vocat, cujus & merito approbamus observationem, quam sequentia ejus verba exhibent: Wiewohl ich auch dieses sagen muß, daß offt zu einer gewissen Zeit, und an einen gewissen Orth eine thesis ad philosophiam arcanam gehöre, die zu einer andern Zeit und an einen andern Orthe sich unter die öffentliche Lehren mit setzen lässet; zu e. zur Zeit des Virgilii Salzburgensis war die doctrin de antipodibus eine scientia arcana, welche aber heut zu Tage öffentlich gelehret und vorgetragen wird. Sic & sub signis arcanis alicui aliquid notum faciendi singulare specimen exhibet conversatio Jonathanis & Davidis *1. Reg. XX.*

v. 18. seqq. Sana itaque ratio docet eas, ex quarum revelatione in nos insigne redundat damnum, veritates vel silentio præterire vel ita occultatas & velatas proponere, ut non nisi iis, a quibus nullum nobis metuendum periculum, pateſcant. Genuina autem quæ ſimulationem & diſſimulationem vel permittunt, vel prohibent, fundamenta & hic ſubſternenda eſſe, quilibet cognoſcet. Ceterum inter alia quæ adminiculantur Politicæ, quam vocant, ſubſidia & noſtra ſymbola eſſe referenda, plurima quæ hic omittimus exempla probant.

§. VII.

Quemadmodum omnes artes, teſte Cicerone *pro Archia*, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur, ita & in eo conſpirant, ut ſymbola admittant: non tamen ideo putandum ac ſi ea propria eſſent illi modo hominum generi, qui eruditorum nomine fulgent; quia enim eundem, ac linguæ habent finem, omnibus æque hominibus apprime conveniunt. Eum itaque quem antea nobis præſcripſimus ſequentes ordinem, jam pauciſſimis ea, quæ extra rei literariæ cancellos ab hominibus excogitata obſervare licet, ſigna perluſtrabimus. Cur hic largiorem, quam inter eruditorum caſtra deprehendimus ſegetem, in promptu eſt ratio; quo enim magis in externos ſenſus incurrunt ea, de quibus cum aliis communicare volumus, eo faciliora ſunt & aperiora, quæ hunc in finem adhibentur, ſigna, eo etiam frequentiora, naturalibus nobis ubique viam ſternentibus. Et quidem licet illa diſtinctio, quæ homines eruditos a rudibus ſeparat, prima facie videatur ſatis abſurda, ſi illud eruditionem in genere vocas, quod rationis culturam promovet, quia homines inde videntur fieri non homines, quippe revera hocce nomen meret, non tam qui facultate pollet ratiocinandi, quam qui illam exercere valet, nemo autem niſi ab aliis doctus & eruditus, hunc aſſequetur habitum; attamen ſalva res eſt;

nam

nam ea, quam ad eruditionem referimus, cognitio non tam illa, quæ ad felicitatem perducunt, media complectitur, (ut pote quæ nullum ſane humanum vultum præ ſe ferentem deberent latere) quam præprimis talia, quæ natura altius poſuit, quam ut omnes homines eo poſſint anniti, & ſine quibus vita quidem humana, ſed non bene, ſed non commode poteſt agi. Non mirum inde, cur eruditi & ſubtilius & accuratius reliquis & ratiocinentur, & rerum momenta examinent, quia ſcilicet alia incedunt ratione. Hiſce ſuppoſitis, nemini ineptum videbitur, ſi & hic inter ſymbola eruditis vulgaria, eaque quæ in vita, uti ajunt, communi occurrunt, quoad ſubtilitatem cognitionisque facilitatem haud parvam deprehendit differentiam; ubi ſcilicet quoad priorem illa hæc, quoad alteram autem qualitatem hæc illa longe præſtant. Pauca hic illuſtrationis gratia adjungamus exempla; & quidem opificum collegia varias nobis ſymbolorum figuras in complexu exhibent. Ut enim taceamus ea, quibus laborum deſignant ſpecies, quibus eorum boethi, qui vocantur, in peregrinationibus ſe invicem ſalutantes, utuntur, aliaque plura lippis & tonſoribus nota; ea modo hic allegare lubet, quæ, dum tiro ſuſcipitur, conjuncta cum dictis contumelioſis eum in finem adhibentur ut initiandi exagitentur, qui inde feruntur, raptantur, atque huc atque illuc diſtrahuntur, ſignis, ſtultitiam ignorantiam aliaqué vitia repræſentantibus, ornati. Hæc omnia (ſpeciali autem recenſione non opus eſſe credo) licet prima fronte videantur ineptiſſima & absque ulla ratione introducta, dum quilibet haſce ceremonias, cernens peragi, facillime eo poſſit perduci, ut magis moriones, imo inſaniantes, quam homines ſeria tractantes conveniſſe credat. Attamen, ſi primam eorum originem conſideramus, quæ eſt antiquiſſima, inventores fortaſſis eum ſibi propoſuerunt finem, ut tironis & diſcendi cupiditarem & patientiam, & ad labores ferendos capacitatem inde dijudicare, & ita tales modo, qui ſuo collegio digni, aſciſcere poſſent. Eadem fere inter eruditos

olim ſcimus fuiſſe maxime frequentia, quippe de Hebræorum moribus teſtatur Plathner in Diſſert. *de Sandaligerulis Hebræorum §. 18. & 19.* Pythagoræorum conſuetudinem Schæffer *de nat. & conſtitut. philoſ. Italicæ p. 113.* exponit, ubi ex Jamblichi vita Pythagoræ narrat, *Pythagoram diſcipulos ſuos per triennium variis contemtus generibus ſubjeciſſe, eosque ficta quadam ſuperbia contemni ſolitos ac ludibrio haberi & exagitari, ut liqueret an ſubire ſapientiæ gratia quidvis poſſent & vellent;* vide & Schilteri diſſ. *de diſciplina Pythagorica* annexam ejus manuductioni philoſophiæ moralis: paria de Indorum antiquis philoſophis refert Gravius *in hiſt. philoſ. Lib. 2. c. 9. p. 155.* & ſane in Germaniæ noſtræ academiis pennaliſmum, qui ita vocabatur, olim iisdem ex rationibus & introductum & conſervatum eſſe, quilibet æquus rerum cenſor obſervabit. Admodum itaque probabile eſt, opifices labe remota, qua temporibus antiquioribus Germaniæ artes ſellularias notatas ſcimus, faſtu autem ob lucrum enorme indies creſcente, cum juxta proverbium non ſine vanitate jactitabant, daß die Aemter und Zünffte ſolten ſo reine ſeyn, als ob ſie Tauben geleſen hätten. Vid. Hertii *paræmiæ Germanicæ lib. I. c. 14.* tironibus ut initia difficilia redderent, & eo facilius habiles dignoſcere poſſent, huncce morem jam recenſitum approbaſſe. Prolixiorem fortaſſis, quam par eſt, rei opificiariæ mentionem fecimus; ſed eo breviores erimus, in enarrandis reliquis quæ huc pertinent ſymbolis; quis enim eorum omnium quorum numerus eſt infinitus, catalogum exhiberet? teſſeras Romanorum hoſpitalitatis ſine dubio huc poſſumus referre, de quibus vide & Tomaſinum *in theſauro Gronoviano* & Schilteri *diſſert. de hoſpitii jure;* oſcula porro quis neſcit dari in ſigna amicitiæ, dextram in ſignum fidei, de utroque autem Plinianum illud quod *lib. XI. c. 45.* continetur lectu jucundum: *ineſt & aliis partibus quædam religio; ſicut dextra oſculis averſa appetitur, in fide porrigitur.* Sic & hic in mentem veniunt pepla luctus, variæ corporis poſituræ, motusque variationes,

ſigna

signa mox honoris & cultus exhibendi, vid. *Levit. 19. vers. 32.* ubi Deus ipse injungit, ut juniores senibus assurgant, mox etiam contemtus. Tandem huc referre libet stigmata quæ fabricensibus inurebantur *L. 3. C. de Fabricensibus*, it. custodibus aquarum publicis *L. penult. C. de aquæduct*, item militibus Romanis juxta Lipsium *L. 1. de milit. Roman.*

§. VIII.

Hisce consideratis, quilibet utilia maxime & proficua quam sint nostra symbola facillime agnoscet, id quod & ea, quæ mox sequetur, tractatio adhuc clarius reddet: verum, quod optimis sæpe contingit rebus fatum, ut scilicet homines genuinam illis utendi rationem negligant & spernant, hoc & circa symbola observamus, utpote quorum abusus non exulat: sed hujus ut omnes species recenseamus, non opus habemus; dum enim in §. ult. cap. anteced. fontes regularum, juxta quas justitia eorum examinanda, indicavimus, quilibet facile hasce secutus, quæ bona sint quæ mala poterit judicare, usumque ab abusu distinguere: non tamen absonum erit, quædam symbola & quidem aperte mox impietatis mox superstitionis vanitatisque specimina allegare. Et quidem magicos, quos vocant, characteres ea, quæ debent homines Deo officia destruere (licet &, quod multi volunt, plane nullius essent efficaciæ,) nemo facile negabit, siquidem iisdem utentes, ejus sibi conciliare quærunt adjumentum, quem summo numini sciunt e diametro oppositum: horum autem & antiquitas & frequentia apud omnes fere gentes, quarum historia est cognita, testatur, quam vaga homines ferantur cupiditate ad consequendum id, quod vires ipsorum excedit, ut, si superos nequeunt flectere, acheronta movere, juxta Virgilium, quærant. Non raro tamen vel calumniatoribus vel paulo simplicioribus aliquid magici hic & quidem incassum subolusse, testatur exemplum Trithemii, supra allegati; hujus enim liber fundamenta steganographica exhibens diu pessima magiæ fax audivit, quæ fallax

præ-

præsumtio eo processit, ut Carolo Bovillo, (qui hoc ipsum de se narrat apud Pope Blount pag. 504.) per paucas horas instituta ejus lectio panicum fere incusserit terrorem. Hæc excipiunt alia symbola quæ notam merent, licet paulo minus nefanda, graduque erroris & nequitiæ a prioribus differentia; scil. quibus futura superstitiosum hominum genus elicere credidit. Quid enim tota divinandi ars & antiquioribus & novioribus temporibus ubique fere exercita, aliud continet, quam nexum & combinationem variorum signorum præsentium cum futuro rerum eventu & incertissimam & ineptissimam. Singulare tamen plane est & ridiculum, quod circa hæc signa observamus, scil. quo magis sunt extraordinaria ratione carentia imo sæpe stolida, eo certior sæpius ipsis inesse creditur significatio eorum, quæ sunt extitura: id igitur, quod alias fidem tollit, hic auget, inverso, quod mireris, ordine. Aliud, quod æque mirum videtur, hic occurrit, scilicet nullam fere gentem hujus stultitiæ fuisse expertem, imo eas quibus sapientiæ palma a pluribus fuit concessa, alias, quas barbaras dixere, pluralitate & absurditate horum signorum longe superasse, quod & Græci olim & Romani testantur; quorum hoc in studio conatus exponit præter alios plures Peucerus de *divinatione*; & huc pertinet *l. 2. de Paganis & sacrific.* in qua Imperatores prohibent: *ne quis mortalium ita faciendi sacrificii sumat audaciam, ut inspectione jecoris extorumque præsagio, vanæ spem promissionis accipiat, vel (quod est deterius) futura sub execrabili consultatione cognoscat. Acerbioris enim imminebit supplicii cruciatus ei, qui contra vetitum, præsentium vel futurarum rerum explorare tentaverit veritatem.* Non meliorem merent locum signa Geomantiam, Chiromantiam & alias hujus farinæ artes constituentia, quæ omittimus. Horum autem omnium communis mater est superstitio, quamque ab ignorantia suam ducere originem, satis constat superque; hæc haruspici auctoritatem conciliat, hæc efficit, ut ineptiori multo ea, quæ a

bacu-

baculo in angulo ad pluviam fit, conclusioni adhibeatur fides ceu demonstrationi firmissimæ. Agmen claudant alia, si non impia, si non turpia, minimum vana & frivola signa, quorum fere idem ac næniarum est numerus, quorumque variis in rerum momentis sat largam deprehendimus segetem; & quidem inter innumera huc referimus varia negotia sub solennitate absurdissima celebrari solita, quidquod passim omnis generis homines suas inter, diversos ob fines institutas, conversationes fovent & quotidie nova effingunt, quæ huc pertinent, symbola. Nec dubito ea monachorum quorundam inventa catalogo ineptiarum inserere, quæ Johannes Monachus *l. 1. vitæ S. Odonis Cluniacensis Abbatis*, uti du Fresne t. 3. p. 863. excerptum exhibet, ita describit: *Est & alius inter eos taciturnitatis modus. In competentibus namque horis nemo intra claustra ejusdem monasterii audebat loqui, nec se cum alio fratre jungere. Quoties necessitas ad exposcendum res instabat, toties diversa signa invicem faciebant, ad perficienda quæ vellent, quos puto Grammatici digitorum & oculorum notas vocare consueverunt. Adeo nempe inter eos excreverat ordo iste, ut puto si sine officio linguæ essent, ad omnia significanda sufficere possent signa ipsa.* Clarius absurditatem testatur longa horum signorum series, quam ipse du Fresne l. c. exhibet.

CAP. III.

De Symbolorum in Jurisprudentia usu.

§. I.

Ex iis, quæ hactenus exposuimus, momentis tam symbolorum natura quam usus latissime patens, & ubivis fere se exerens potest cognosci: jam ad ipsam deveniamus, propter quam præcipue hunc laborem suscepimus, juris-

prudentiam, atque quatenus huic inſervire poſſint ſymbola videamus. Cumque hic ſive Jurisprudentiam naturalem ſive civilem conſideramus, ſi & hujus ſpecies varias publicam, privatam, eccleſiaſticam, ſecularem, legislatoriam, judiciariam penſitamus, ubique deprehendimus communicationem vel legislatoris & civium, vel horum inter ſe; omnis enim jurisprudentiæ fundamentum eſt lex, quam ſuperior præſcribit, quam cives vel ex ore ipſius ferentis, vel ex doctrina aliorum addiſcunt, & repræſentatione mali vel boni eo, ut actiones ſuas ſecuudum illam dirigant, perducuntur: opus itaque eſt remediis, quibus adminiculantibus unus alii aliquid impertire, quorum beneficio unus cum alio communicare valet, hæc autem, quod monſtravimus §. 5. & 6. conſiſtunt in lingua vel in ſignis ſive ſymbolis.

§. II.

Ipſa Jurisprudentia cum reliquis in eo convenit, diſciplinis, ut felicitatem hominis promoveat, hæc autem cum vel externa ſit vel interna, diviſionis fundamento petito a variis objectis vel extra nos, vel in nobis exiſtentibus, ex quorum diſpoſitione commoda oriuntur; ita inter JCtos, quisnam ſit finis jurisprudentiæ, num hæc num illa, diſputatur? Quodſi autem penitius rem inſpiciamus, eamque, quam merito debemus, adhibeamus cautionem, in cuſtodiendis uniuscujusque diſciplinæ cancellis; utpote ex quarum confuſione haud contemnenda damna proficiſcuntur; (id quod alterius eſt tractationis) neſcio annon certo certius poſſit demonſtrari, unice per noſtram boni & æqui artem homines ſaltem civiliter bonos fieri, & per conſequens nullum alium ejusdem ſcopum, quam externam hominis felicitatem poſſe admitti. Præſupponit jurisprudentia leges, & hæc pro fundamento habent ordinem imperantium & parentium i. e. rempublicam; hanc autem inimus, ut ſecuram vitam, improborum intemperantia per vim externam cohibita, liceat agere; hinc actiones externæ ſunt objecta legum & jurisprudentiæ.

Diffe-

Differentiam ſatis magnam obſervamus, inter modum corrigendi homines Philoſophis Theologisque, & JCtis conſuetum, hi enim peccandi licentiam reſtringunt ordinarie repræſentatione mali externi i. e pœnæ; illi docent odio habere vitia, virtutis amore. Linquamus autem viris ſummis opinionem, de juſtitia, quam dicunt, univerſali per Jurisprudentiam obtinenda: quia hocce modo noſtræ diſciplinæ plures alias licet diverſas ſatis, homini tamen ſumme neceſſarias, immiſcent. Externa autem felicitas, quam ita per Jurisprudentiam obtinere quærimus, nobis contingit mediantibus vel rebus vel perſonis; hinc tota, quota eſt, jurisprudentia jure vel perſonarum vel rerum, generaliori paulo ſignificatione ſubſtrata, abſolvitur. Hæc autem, (quæ objecta jurisprudentiæ remotiora commode poteris vocare) dum in ſenſus incurrunt externos, dum actiones porro hominum huc tendentes, ſaltem quatenus ſe exerunt ad forum JCti pertinent; ita dum ea omnia cognitioni magis pateant, quam illa, circa quæ philoſophia moralis & Theologia verſatur, momenta, facilius quoque Jurisprudentia admittit ſymbola, iis ipſis, de quibus §. 3. & 4. cap. anteced. egimus diſciplinis. Notabilia ſunt Gundlingii verba *Gudlingian.* T. 2. p. 175. ubi de traditione ad transferendum dominium neceſſaria loquens, uſum in jure ſymbolorum ita demonſtrat: Wer ſchencket läſſet ſein Eigenthum auf, und giebet es einem andern. Dazu wird, wenn man die Sachen vernünfftig anſiehet, weiter nichts erfordert, als daß der Wille des Schenckenden bekandt werde: Solches kan durch ein pactum oder Vertrag geſchehen, weiter wäre nichts nöthig. Wer verſtändig iſt, ſiehet ſchon was geſchiehet, und erkennet, was er thut, und begreiffet was er empfänget. Weil man aber nicht mit lauter verſtändigen und raiſonablen Leuten zu thun hat, ſondern der einfältigen, thummen, unverſtändigen und auch böſen mehr ſind, als haben faſtaſſe Geſetzgeber auff eine deutlichere Willens Erklährung gedrungen. Daher iſt die tradition oder Ubergabe ſo wohl bey Ver-

äußerung der beweglichen als unbeweglichen Güter erwachsen. Dieses Zeichen ist deutlicher als ein simples pactum. Hinc & quis non agnoscit JCtum sub gleba agrum, sub clave domum, sub festuca hortum, indigetantem, longe clarius se exprimere, Pythagora, qui tum a fabis, a gallo candido, a nigram caudam habente &c. abstinere jubet, ænigmata obscurissima & fere inexplicabilia, quod maximus interpretum dissensus testatur, fingit. Frequens itaque in omni jure horum symbolorum usus, quem legislatores non improbant, JCti retinent, cives in suis actionibus adhibent, hoc nostrum ratiocinium confirmat.

§. III.

Quodsi autem eam, quam initio cap. II. approbavimus, partitionem symbolorum & hic sequi velimus, facile quidem cognoscemus, eorum, quæ in nostra jurisprudentia occurrunt, finem ordinarie consistere in eo, ut vel brevius & succinctius, vel clarius, quam verbis licet, negotia juridica expediantur. Nam cum leges ideo dantur, ut omnibus omnino pateant; cum ipsa jurisprudentia sit habitus leges & interpretandi & explicandi & applicandi ad casus emergentes; symbola sane, quorum ibidem mentionem fecimus, ideo excogitari solita, ut celemus mentem sub figuris, non nisi paucioribus cognitis, nobis plane videntur inutilia: attamen & hic extraordinarii quid interdum accidere, testatur experientia; hinc curiositatis gratia, liceat pauca quædam huc facientia annotare, ex quibus cognoscemus, neque hæc a Jurisprudentia penitus exulare. Aenigmata quidem legum, quorum Imperator in l. ult. C. de LL. §. 1. mentionem facit, & simul eorum explicationem principi absolute reservat, huc non pertinent, sed saltem perplexa legum verba indicant. Ex jure autem Romano præprimis se offert secundum LL. XII. Tabb. augmentum, quod actiones illas antiquas legis continebat. Insigne ex hisce actionibus patricii hauriebant commodum, quod ex historia juris satis constat, ideoque mirifice ipsas celabant,

labant, quod & Cicero confirmat l. 6. ep. 1. ad Attic. *posset agi*, scribens, *nec ne pauci quondam sciebant, erant in magna potentia qui consulebantur, a quibus etiam dies tanquam a Chaldæis petebantur.* Cum autem Cn. Flavius juxta l. 2. de O. I. §. 7. hæc arcana prodidisset, & ita cornicum oculos, uti Cicero l. c. de eodem loquitur, confixisset, novas JCti actiones excogitabant, & quidem hasce, ne, parem divulgationem cur metuerent, haberent, sub certis & incognitis notis celabant; id quod Cicero pro Muræna paulo aliter ac Pomponius *lege allegata* enarrat: *itaque*, dicens, *irati illis, quod sunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.* En itaque exemplum steganographiæ juridicæ! uti commode hoc patriciorum inventum vocare licet. Quæ autem harum notarum fuerit forma, plane non constat: sunt qui putant eas fuisse ejusdem generis cum tyronianis, vel cum singulis illis literis totam vocem significantibus, quarum jam §. 2. c. 2. mentionem fecimus; alii autem credunt, ut eo difficilius patescerent plebejis, certos potius characteres fuisse effictos, quorum aliquot figuras, designantes juridica negotia, Cujacius ex antiquissimo, quem vocat, nihil autem certi de ejus antiquitate affert, libro exhibet Observ. l. XII. obs. ult. vid. & quem Hoffmannus in not. ad Thomas. historiam juris allegat, Nicolai tractatus *de siglis veterum* c. XII. ubi itidem specimen quarundem notarum profert excerptum ex Magnonis tract. rarissimo *de siglis veterum.* Quis autem de re incertissima certum quid audebit asserere? Jus Germanicum porro nobis mirum & inauditum fere subministrat exemplum Jurisprudentiæ arcanæ, & signorum itidem huic inservientium arcanorum largam segetem in judicio, quod Westphalicum & Vemicum appellabatur. De hoc judicio Munsterus in Cosmog. l. 3. p. 1113. refert: man nennet es das heimliche oder verborgene Gericht, und die diesem Gerichte vorgesetzet sind, nennet man Scheffen oder Veimer; Sie haben etliche heimlich Gestärckte

und verborgene Satzungen, nach denen sie die Ubelthäter richten, und halten sie auch also heimlich, daß noch keiner erfunden ist, der um Geldes willen, oder von Furcht wegen, etwas hätte davon geoffenbahret: non itaque mirandum, quod in singulis fere actibus judicialibus nil nisi mysteria deprehendimus. Si Wernero Rolevincio fides habenda, quem Thomasius in diss. *de vera origine & natura judiciorum Westphal.* allegat, symbolica Leonis Papæ responsio eidem occasionem dedit: sequentem enim illustris Autor p. 11. in notis affert vel historiam vel fabulam: *Interea misit Rex Carolus Romam ad Leonem papam pro consilio habendo de rebellibus illis, quos nulla poterat diligentia ex toto compescere aut exterminare. Ast sanctus vir audita legatione, nihil prorsus respondit, sed surgens ad hortulum ivit, & zizania cum tribulis colligens supra patibulum, quod de virgis fecerat, suspendit.* Modum creandi scabinos, singularem idem illustris vir ibidem p. 50. in not. ex Turkii *fastis Carolinis* exponit sequentibus verbis: *Scabini creandi, ubi in occultam cameram introducti fuerint, detectis capitibus procumbunt in genua, duosque digitos manus dextræ imponentes gladio & laqueo, qui istic, quoties judicium peragitur semper in scamno positi videntur, jurant fidelitatem judicio, amaturos æquitatem, delaturos, quæcunque cognoverint, nec quicquam eorum quæ præscripta & usitata sunt transgressuros, denique commoda & emolumenta judicii pro viribus curaturos; tunc iisdem prælegunturleges, indicatur judiciorum tessera, quæ juxta priscum morem sunt quatuor verba his litteris significata S. S. G. G. i. e.* (uti Turkius explicat) **Strick, Stein, Graß, Grain.** Tandem ipsa ab hocce judicio suscepta sententiæ suæ executio non carebat hujus generis arcanioribus signis, quo pertinet id quod Schottelius ex antiquo libro tractatui *de singularibus quibusdam juribus Germanicis* inserit, sic enim processum mirabilem hujus judicii §. 11. exhibet: Wenn daselbst die heimlichen Richter und Schöppen in ihren Gebiet einen gewust, der sich nicht allzurichtig in seinen Handel und Wandel verhielte,

haben

haben sie demselben für erst eine wohlmeinende und heimliche Warnung gethan, nehmlich ihm bey nachtschlaffender Zeit ein Zeichen an seine Thür gemacht, auch in Zechen und Gelagen die Kanne, Krug oder Glaß für ihm übergehen lassen. Wenn er denn von seinen Unthaten nicht abgelassen, und sich nicht gebessert, und man unversehens das Gericht gehalten, haben sie alle an den Ort des Gerichtes erscheinen, und sich unter den blauen Himmel niedersetzen müssen. Denn sind Richter und Schöppen mit Stricken zu ihnen kommen, im Kreiß dreymahl herumb gegangen, und alle zugleich folgenden Worten gesprochen, Wer ein frommer Mann ist, der sitze stille ꝛc. In multis autem conveniunt cum hisce, etiam quoad signa arcana, ea, quæ in quibusdam regnis pontificiæ, quam dicunt, religioni addictissimis uti Hispaniæ & Portugalliæ, vigent & ab inquisitione nomen habent, judicia, de quibus præter alios autores vid. anonymi *l' inquisition de Goa.*

§. IV.

Transeamus autem ab arcanis ad faciliora symbola, & quidem horum duæ species, quas antea §. 2. cap. anteced. generaliores vocavimus, quatenus ad nostram disciplinam fuerint applicatæ, videamus. Primo se offerunt compendia literarum, ubi scil. uno modo charactere integram vocem exprimimus, quæque olim sigla appellabant, quasi singula per contractionem, uti vult Cujacius Observat l. XII. Ob. ult. & vulgo audiunt abbreviaturæ. Hæc quidem sigla, nisi dubiam reddant scripturam, ex nostro foro non ejicienda videntur, non tamen sine ratione, dum non raro maxima ambiguitas inde oritur, constitutionibus reiteratis Justinianus prohibuit, quominus ea libris juris sui inserererentur, pœnam simul dupli imponens librariis iisdem utentibus, ceu ex §. 22. C. de *Jure veteri enucleando* patet. Verum hancce dispositionem legis laudabilem haud diu fuisse observatam, testatur ipsum exemplum Pandectarum antiquissimum, quod adhuc extat, Florentinum puto, quod mox post tempora Justinianea scri-

ſcriptum eſſe teſtatur & Mabillon. *in re diplomatica* p. 356. & accuratiſſimus ejus perluſtrator Brenkmannus in ſua commentatione; num autem incuria legislatorum, aut lucricupido ſcribarum, citius ita opus ſuum perficientium in cauſa fuerit, jam noſtri non eſt inquirere. Ceterum clariſſimum indicium confuſionis ex hujus generis ſiglis metuendæ, exhibet l. 7. ff. *de cap. minut.* ubi ſummus ille, cujus tantopere prædicat Imperator juris ſcientiam, Tribonianus, compendioſis hiſce ænigmatibus deceptus ineptiſſimum ſenſum loco cuidam Pauli JCti, quem ibi excerpit, affingit, ut optime Gothofredus annotat; dum enim ſigla ſequentia E. H. Q. I. I. A. P. P. D. debuiſſet, ſana ratione ita jubente exponere, Exceptis His Quæ In Iure Agnationis Perſonis Proximis Deferuntur; ſequens abſurdiſſima & omni plane ſignificationis vi deſtituta ipſi arriſit: Exceptis His Quæ In Iure Alieno Perſonis Poſitis Deferuntur. Tandem num in Jurisprudentia methodus illa ſymbolica ſive ſub imaginibus variis doctrinas juridicas proponendi poſſit uſurpari, & quidem commode, pauciſſimis obſervabimus. Nemo eorum, qui de methodo ſtudendi jura nobis reliquerunt libros, quorum tamen plures ſunt, & quidem in diverſa euntes, ſigna hæc, quantum equidem mihi conſtat, commendavit: & licet alias modus diſciplinas tractandi maxime ſit arbitrarius, imo juxta diverſiſſimam eorum, qui ſtudiis ſe dicant, indolem univerſalis, & omnibus æque commodus vix præſcribi poſſit; quid quod eum impunius hic quam alibi unicuique litterarum cultori, ſuo ut indulgeat genio, permittere poſſumus; nemo tamen fortaſſis in noſtra doctrina haurienda imagines probabit. Hæ enim primæ quidem ætati conveniunt, cui autem præcluſa adhuc eſſe ſacra Themidos quis neſcit? Puerulus ille Lubeccenſis, cujus jam §. 2. cap. antec. meminimus, tyrocinium juris tenerrimos annnos agens ſuſcepit, & quidem, uti videtur, hujus generis ſignorum adminiculo, nec ſine fructu: verum qui ejus ætatis hominibus, in quibus judicii major ſe vis exerit,

rit, eandem velit rationem jura discendi commendare, a vera sine dubio via seductos certo certius labyrintho obscurissimo implicabit. Puerilibus sane scatet ineptiis Bunonis hunc in finem adornatus libellus, ut nexus seiresque titulorum juris Justinianei sub hujus generis picturis memoriæ imprimatur; quid demum fiet, si & ipsa juris materia eadem ratione sit proponenda. Audiamus Strykium de *jure sens.* Diss. VIII. c. 2. §. 5. de hoc artificio ita differentem: *memorativa est inductio quædam & præceptionis ratio, locis & imaginibus tanquam membrana constans & characteribus, ; qua arte usus JCtus haud infimi subsellii, cujus in tantam promtitudinem memoria excrevit, ut multa millia rerum stans perciperet animo, & eo, quo accepta essent ordine memoriter redderet: quin se non semel obtulisse dicitur, ad totius Codicis Justinianei extemporaneam recitationem, referente Arumæo tr. de mora proœm. n. 9. qui insuper memorativam hanc artem mirum in modum deprædicantem adducit Hieronym. Butigell. ad l. 22. ff. de credit. concludit tamen præfato loco ex Quintiliano l. 11. Orat. Inst. c. 2. his verbis: vanitas fuerit atque jactatio circa memoriam suam arte potius quam natura gloriantis.* Dantur tamen juris nostri quædam pensa, quæ sub signis commode possunt monstrari; quo refero graduum cognationis enarratio, de qua Imperator *in J. de Grad. cognat. §. ult.* bene asserit, quod ejus veritas magis oculata fide quam per aures animis hominum infigatur; hinc & antiquissima sunt hujus generis schemata, quorum aliquot exhibent & Heineccius in Antiqu. ad tit. cit. & Van de Water in Comment. ibid.

§. V.

Sed quemadmodum hæc, de quibus hactenus egimus, symbola universæ Jurisprudentiæ inserviunt, ita nec destituimur iis, quibus singularia negotia exprimimus, circa quæ jus nostrum versatur; quorum autem, nisi diversas jurisprudentiæ species eo, quo decet, modo separemus, vix genuinam exhauriemus significationem; nec enim ubique eandem ho-

rum deprehendimus frequentiam, nec eadem omnia laborant subtilitate, cujus tamen ratio est quærenda in ipsis, hujus vel illius Jurisprudentiæ fundamentis, quod exempla, quorum collectioni caput sequens est destinatum, satis superque probabunt. Si itaque jus illud quod ex ipsa descendit natura consideramus, licet non respuat usurpationem symbolorum immediate tamen nulla suppeditat; ex arbitrio autem hominum tam singulorum, quam totam gentem constituentium, posteaquam quædam signa sunt electa, & actionibus humanis immixta, ad jurisprudentiam hanc universalem sine dubio pertinent. Cumque non nisi rarissime singuli homines in statu, quem vocant, naturali existentes inveniantur, quippe vix etiam pauci æqualem illam, quam qualitas illa naturalis secum fert, conditionem diu valent retinere, rariora etiam erunt exempla symbolorum inter eos constitutorum. Ficta quædam sed cum magna veritatis similitudine videsis in fabulosa illa Robinson Crusoœ peregrinatione, sed & reapse adhibitorum passim specimina in historia occurrunt. Gentes autem, utpote quæ ubicunque conveniunt, pacis aut belli mutua inter se negotia gerunt, omnino communicatione, sive verbis sive signis instituenda opus habent. Cum autem sæpius imo sæpissime, dum gentium agitantur causæ, ea interveniunt momenta, quæ vel usum verborum plane non admittunt, quo refero exemplum Africanæ cujusdam gentis adspectum Belgarum omnino fugientis, cum hisce tamen contrahentis vid. Dapperi Africa; vel breviorem omnino & faciliorem significationem postulant, quod inter navigantes & belligerantes sæpius contingit; frequens itaque in ea quæ gentium actiones examinat jurisprudentia occurrit symbolorum adhibitorum materia; quorum aliquot infra proferemus exempla.

§. VI.

Si porro societates civiles consideramus, & observamus inter homines ita arctiori colligatos vinculo, & plura & fortiora

tiora variorum, quibus felicitatem mutuam promovent, negotiorum incitamenta quotidie nasci, per consequens ipsa, quibus mutua & necessaria significatio initur; media ut indies augeantur, & sæpissime varientur, est necesse, & symbolorum majorem & communiorem hic ac alibi usum possumus præsumere. Accedit quod in civitate difficultas electionem arbitrariam signorum alias concomitans per approbationem summi imperantis vel expressam vel tacitam facilius tollatur; quid quod & vitium obscuritatis, quod multis aliis symbolis est commune, principis decisione, ambagibus resecatis commode sanetur. Inter eas, quarum tenor nobis est cognitus, leges, primo se offerunt Judaicæ, in quibus tam forensibus quam ecclesiasticis, tam antiquioribus, quas Deus ipse præscripsit, quam quas hujus populi rectores condidere, non mirum si largam variorum symbolorum segetem deprehendimus; sive breviter & succincte se mutuo exprimendi, sive alia, pluribus versus orientem sitas regiones incolentibus populis communis consuetudo, sive ipsorum horum signorum commoditas eorum commendavit usum. A Judæis pergimus ad Romanos; eorumque si rempublicam florentissimam, si innumera ibi occurrentia negotia civilia, si tandem varias ipsius civitatis mutationes, artibus variis politicis tam patriciorum & plebejorum quam Imperatorum amplissimum campum aperientes, paulo accuratius contemplamur, facillime inde concludere valebimus, quantus symbolorum ibi fuerit usus, quotidie se exerentibus occasionibus, omnes §. 1. c. 2. enarratos, (quarta excepta) usurpandi signa rationes postulantibus. Sacra itaque & profana (ut ita loquar) publica & privata illustrissimæ hujus gentis jura referta sunt innumeris omnis generis symbolis, quorum caput ultimum summatim exhibebit specimina. Apprime autem JCti Romani eadem fictionibus juris immiscebant; & hac ratione ipsum hoc fictionum artificium reddebant commodius aptiusque ad illum, quem inde quærebant finem. Quemadmodum autem

hasce, de quibus loquimur fictiones Romanas juri nostro plane proprias possumus vocare, utpote quæ singularibus circumstantiis suam debent originem, hincque eadem, uti in hoc jure, nusquam occurrunt ratione; neque eodem modo in aliis rebuspublicis, legibus licet hisce utentibus, possunt applicari, (id quod non satis accurate omnes, qui hujus materiæ explicationem tentaverunt, observarunt) ita sane & symbola hic occurrentia præ reliquis, quorum vestigia plura in legibus Romanis deprehendimus, aliquid fovent extraordinarii, & singulare quid significant. Sic facile antiquitatum juris gnarus rationem potest dare, numeri septenarii testium in testamentis necessarii, æris & libræ in testamentis & emancipationibus adhibitæ; quemadmodum & certo nititur fundamento glebæ in processu vindiciarum antiquo apportatio, & hujus in locum postea substituta necessitas eundi redeundique vid. Brissonius *de verbis Romanorum* solennibus, it. Heineccii *antiquit.* hujus enim generis symbola imagines negotiorum ab antiquis formularum cantoribus, (uti Cicero JCtos illos vocare amat) inventorum, accurate referunt, & proinde accuratioribus, quam reliqua signa, constant limitibus.

§. VII.

Misso jure Romano se offert aliud æque illustre, æque in foris nostris usitatum, nempe illud quod canonicum vocamus. Hujus si consideramus origines & incrementa, quæ insigni religionis abusui & superstioni utplurimum sunt adscribenda, si autores perpendimus, eosque omni astutia & mira calliditate observamus eo potissimum nisos fuisse, ut specie externa inventa sua ornarent, & ita rudes & imperitos, quos laicos dicebant, allicerent; vix aliud magis commodum magis aptum habebant adminiculum, quam quod nostra ipsis ferebant symbola. Hinc eadem fere, qua & fastuosi Judæorum doctores procedentes ratione, innumeras excogitabant cerimonias, purissimum illum & simplicissimum a Christo & Apostolis introductum a primis ecclesiæ nostræ membris observa-

ſervatum cultum divinum externe quidem ſplendidiorem, ſed & eo ipſo & ſubtiliorem & difficiliorem reddebant; quid quod non dubitabant multa externa religionis ſigna mutuare ex ethnicorum theologia, quod du Choul in ſpeciali tractatu ſatis clare demonſtravit, & quo pertinet Itali cujusdam lepida defenſio antiquitatis ritus alicujus eccleſiaſtici, quam Miſſon in relatione peregrinationis ſuæ narrat p. 192. Quemadmodum autem Clerus mox ab ætate Conſtantini M. ſuam omni modo augere auctoritatem, eamque quam in negotiis eccleſiaſticis dijudicandis habebat poteſtatem, etiam ad alia & civilia mere extendere allaborabat; ita ſub religionis ſpecie plures actiones ad ſua trahebat fora, quod matrimonia, juramenta, aliaque ſatis teſtantur ſuperque; proindeque jus hoc in tantam qua illud jam videmus, excrevit magnitudinem: hinc etſi in aliis, præter eccleſiaſticas, deciſionibus non tantam uti in hiſce ſymbolorum ſegetem deprehendimus, non tamen & deſunt hic eorum veſtigia; iis, quas ſub initio hujus capitis allegavimus, ſignorum uſum in jurisprudentia commendantibus, rationibus & in hiſce locum invenientibus,

§. VIII.

Si tandem ad Germaniam pergimus, easque quæ noſtræ patriæ ſua debent incunabula, leges conſideramus; dum eam eſſe ſymbolorum conditionem antea demonſtravimus, ut omnibus hominibus conveniant; dum etiam a noſtris civibus in pluribus negotiis illa frequenter ſatis adhiberi videmus, jurisprudentia ſane Germanica iis vix ac ne vix carebit. De antiquiſſimis quidem temporibus nihil certi licebit aſſerere, dum, uti conſtat, privati ſumus idoneis monumentis; paucis illis legum antiquarum fragmentis, quæ Goldaſtus exhibet, doctam impoſturam ſatis ſuperque prodentibus. Imo ſi ad ea reſpicimus tempora, quorum accuratiſſimus, quem habemus, morum patriorum obſervator, Tacitus deſcribit hiſtoriam, ipſique fidem adhibemus aſſerenti

bonos mores tunc plus valuiſſe, quam alibi leges, credamus neceſſe eſt, legum numerum tunc fuiſſe admodum parvum. Inſigniter autem mihi videntur illi errare, qui, verba Taciti non ſatis accurate perpendentes, Germanicis rebuspubl. omnes denegare audent leges ſcriptas. Temeraria vero quemadmodum eſſet aſſertio paucas haſce & ſimplices leges continuiſſe ſymbola, quippe ne unica nobis remanſit ab ea ætate ſanctio: illud tamen ex Taciti libello de moribns Germanorum apparet, tunc temporis dudum huic populo ipſa ſymbola & cognita fuiſſe & utilia; aliquot quæ obiter annotavimus, exempla hic allegabimus. Sic in Comitiis principi vel regi declamanti populus vel conſenſum vel diſſenſum ſuum declarabat ſignis, & quidem uti Tacitus cap. XI. refert: *ſi diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur; ſin placuit frameas concutiunt.* Sic & aliquid ſymbolici occurrit in materia nuptiarum, id quod ipſis autoris verbis exprimemus, quæ habet cap. XVIII. *dotem non uxor marito, ſed uxori marito offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur; ſed boves & frenatum equum & ſcutum cum framea gladioque; In hæc munera uxor accipitur; atque invicem ipſa armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſturam, auſuramque; hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.* Hic quoque cultus divini ſymbolici ſpecimen, quod in §. 5. capitis anteced. omiſimus, in cap. XXXIX. ejusdem libelli occurrit, ubi Tacitus de Suevis narrat: *eſt & alia luco reverentia, nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor & poteſtatem numinis præ ſe ferens; ſi forte prolapſus eſt, attolli & inſurgi haud licitum; per humum evolvuntur: eoque omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia*

gentis

gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atque parentia. Sequentibus autem mox temporibus res Germanorum mirum in modum aucta plures postulavit leges; quarumque indubitata adhuc supersunt exemplaria, plura itaque & certiora ibidem deprehendere licet symbola, ubi non opus habemus, ut horum inventorum ex consuetudinibus Romanorum aliorumque populorum deducamus originem, eorum taxantes opinionem, qui antiquis nostræ patriæ incolis, (fortassis ideo quia eos a Græcis & Romanis, barbaros vocari legunt) quasi fungi ac stipites fuissent nihil præclari, nihil boni attribuunt, quam quod aliunde hauserint. Signa illa gentilitia, quæ ad Heraldicam, quam vocant, artem pertinent, feudale aliaque publica & privata jura satis testantur, quantum Germani symbola amaverint; ex quibus illustrationis gratia aliquot cap, ult. hujus tractationis proferemus exempla.

§. IX.

Hactenus, quem in jurisprudentia tam in genere, quam in singulis ejusdem speciebus usum præstant symbola, examinavimus, & varia, quorum sequens caput exhibebit recensionem, exempla adhuc clarius eorum monstrabunt utilitatem; ut hinc iniquus ille esset censor, qui ea ex foris nostris eliminare auderet. Non tamen ideo putandum, ac si ubicunque parem mererent commendationem, nec quod omnis hic eorum cesset abusus: generalis enim quam initium §. ult. cap. 2. hujus diss. continet observatio, in nostra disciplina locum sæpius invenit. Jam aliquot non adeo concinne adhibitorum a JCtis mentionem fecimus symbolorum, quo arcana illa Romanorum signa referimus; sed plura adsunt ad varium jus pertinentia eandem merentia censuram; pauca saltem hunc in finem allegabimus, ut, quid sub abusu comprehensum velimus clarius reddamus. Ex jure Germanico primo loco se offert tota materia ordaliorum sive purgationum vulgarium, uti vocabantur; hic enim ex duello, igne,

aqua

aqua mox frigida moc calida innocentiæ alias dubiæ documenta extorquebantur. Cujus & farinæ erant judicia panis vel caſei conſecrati vulgo olim Corſned dicta & ſortilegiorum ſacrorum; quorum omnium ſuccinctam enarrationem vide apud Schottelium de diverſis juribus Germaniæ cap. XXVIII. & in Continuat. ejusdem cap. VII. & VIII. Nec meliorem notam meret jus quod feretri vulgo das Baar-Recht dicebant, cujus adhibiti exempla præter auctorem cit. cap. 3. vide quoque apud Strykium de *jure ſenſ.* Diſſ. VII. c. III. Genuina horum tam extraordinariorum ſignorum origo eſt quærenda in ſuperſtitione tunc temporis ubique vigente; ſimplices enim & rudes, qui tunc maximam hominum partem conſtituebant, non niſi miracula affectantes credebant, fore, ut Deus inverſo etiam naturæ ordine ſontes ab inſontibus ſit diſtinctorus. Improbanda quoque ſunt ſigna quædam, ex quibus hujus vel illius criminis reos vanum & ſuſpicax hominum genus dignoſcere vult, cum maximo innocentiſſimorum ſæpius diſpendio. Curioſa ſunt Horatii verba quæ habet lib. 2. Ode 8. ſingulare perjurii indicium exhibentia dum canit:

Ulla ſi juris tibi pejerati
Pœna, Barine nocuiſſet unquam
Dente ſi nigro fieres vel uno
Turpior ungui.

Num certius ea, quæ ex hominum facie deſumuntur ſigna, habeant fundamentum, Vid. Stryck. in Diſſ. *de phyſiognom.* c. I. n. 49. aliquoties tamen judices huc reſpexiſſe, teſtantur acta a Dœplero ex Tranquillo Ambroſino excerpta p. 299. *in theatr. pœn. Tom. I,* ubi legitur: *conſiderata mala ipſius qualitate & vilitate perſonæ, ac mala phyſiognomia.* Plura autem hujus generis & quidem, ineptiſſima & fallaciſſima ſimul autem perniciosiſſima excogitarunt ſævi illi ſagarum & magorum inſectarores, quorumque larga admodum eſt ſeges de quibus vid. diſſert. Bodin. *de fallacibus magiæ indiciis.* Quid de

ſtigma-

ſtigmate illo quo ſatanas ſuis ſacris imbutos & conſecratos ſignare dicitur, ſit ſentiendum, non ſatis expeditum eſt, JCtis mirifice diſcrepantibus. Si fide dignum eſt, quod Dœpler d. I. c, 2. exhibet ex actis magicis ſub fictis nominibus fragmentum, eorum, qui ſigna hæc approbant, opinio inſigne fulcrum inde acciperet; dum ſcil. vetula poſt exantlatos quæſtionis cruciatus ibi confitetur: Der Teuffel hätte mit der Klaue ihr unter den Daumen in der Mauß ein Zeichen gekrazet: id quod poſtea ex ipſa inſpectione clarius patuit, eodem autore ſequentia referente: welches ſtigma, wie ſie zeigete, bräunlich, wie eine Fliege gebildet, etwas erhaben ausſahe, und gantz unempfindlich war, auch kein Blut von ſich gab, wie der Nachrichter mit einer Pfriemen drein ſtach: fuſius autem hanc materiam pertractat idem Dœpler ibid. Vid. & Stryck. *de jure ſenſuum* diſſ. VII. c. IV. §. 10. Quicquid autem ſit, ſive vere talia unquam extiterint, ſive non; aſſertoribus eorum ad magnum exemplorum numerum, & experientiam provocantibus, peſſimi tamen abuſus ſpecimen occurrit in famoſa illa inquiſitione contra ſacerdotem quendam Gallicum inſtituta, cujus hiſtoriam exhibet libellus, *les diables de Laudun* dictus, ex Gallico Germanicus converſus, & collectioni rerum magicarum inſertus a Reichio. Obiter & hic in mentem venit ſymbolum ineptiſſimum in juramento Judæorum ex diſpoſitione ſpeculi Suevici occurrens, cap. 345. Diß iſt der Jüden Eid, wie ſie ſollen ſchwehren um ein jeglich Ding, das zu ihren Eide ſtehet; er ſoll auf einer Säu-Haut ſtehen ꝛc. Hæc ſufficiant exempla ex quibus patet dari abuſum ſymbolorum ex ipſo jure deſcendentium alia autem ratione iis abutuntur homines, dum contra leges ut alios lædant, ſigna adhibent. Huc autem ea præcipue pertinent, quibus injuriam inferimus aliis, quibus honorem aliorum lædimus, quibus contemtum noſtrum erga alios declaramus: & quorum, quia ex electione dependent & impoſitione hominum, innumeræ deprehenduntur & quidem diverſiſſimæ figuræ;

quid quod non eadem omnibus gentibus ignominiosa videntur signa. Sic Judæorum & Ammonitarum consuetudinem tangit, barbarum & vestimentorum abscissio, pro atrocissima habita injuria: ita scabiosi canis symbolum singularem apud Germanos olim denotabat infamiam in quem finem Henricus Auceps Hunnis talem misit: Pari ratione Albertus rex Sueciæ Margaretæ Danicæ, ut illam irritaret, mittebat cotem. Cujus farinæ symbolorum adhuc sexcenta, si lubet, possent afferri. Claudant autem hancce tractationem singularia quædam signa aliis nocendi gratia inventa, & quorum usurpatio in crimen scopelismi incidebat, cujus mentionem facit L. 9. ff. de criminibus extraordinariis, ubi Ulpianus scribit: *Sunt quædam, quæ more provinciarum coercitionem solent admittere, ut puta in provincia Arabica σκοπελισμον i. e. lapidum positionem, crimina appellant: cujus rei admissum tale est: plerique inimicorum solent prædium inimici σκοπελιζειν i. e. lapides ponere, indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo letho perituros esset insidiis eorum, qui scopulos posuissent.* Nostri autem non est ipsam hujus scopelismi indolem accuratius examinare, dum maxima hæc ab Arabibus excogitata cerimonia obscuritate sit involuta.

§. X.

Ultimum locum occupet observatio, qua ratione symbolorum in nostra Jurisprudentia sit instituenda interpretatio? & dum quilibet perspicit, ipsa negotia, & quidem maximi sæpius momenti, ex quibus facultates variæ morales fluunt, hic sub signis expediri, facile etiam inde potest concludi, maxima hic opus esse cautione, ne in explicatione peccemus: majoris etiam, qui propter hanc suscipitur, utilitatis labor est, eo licet improbo satis & duro, quem Kitcherus & Pierius in symb. Ægypt. Bernius, Beroaldus aliique in Pythagoricis illustrandis sustinuere. Generaliorum, quæ hic formari possunt, regularum, in §. ult. cap. I. hujus diss. mentionem fecimus, & quarum in nostro jure nemo negabit efficaciam;

ciam; specialiores autem, propter nimiam varietatem, vagamque imponentium libertatem, plane exulant. Eam tamen, quam §. 8. ejusd. cap. continet cautionem, hic ut commendemus, necesse habemus; scil. evitandum esse nimium studium in exploranda genuina signorum electorum ratione. Hosce enim si transgredimur limites, hosce si negligimus cancellos, ludentes imaginibus sæpissime decipiemur, quid quod nugas maximas agemus. Ineptiarum hujus generis tria specimina ex tribus antiquis illis juribus Germanicis proferemus, quorum tamen plura ibidem occurrunt, quod eo minus mirabitur, qui miserandam eruditionis tunc temporis conditionem considerat, & quod proinde, uti de Ludewig in præfat. tr. *de jure clientelari Germanorum* vere asserit, ibi sæpius stultitia invicem & stupor certent. Collector speculi Suevici cap. 370. §. 2. ita perorat: Wir wollen von der heil. Ehe ein wenig sagen, wie die ein jeglicher Mensch empfahen soll; als der Heil. Hr. Johannes sahe in apocalypsi: der sahe ein Frauen, die wolt der Drache freßen, da halff aber GOtt daß sie zween schöne Fittige gewann, und entflohe dem Drachen. Der Drache bedeutet den Teuffel, wer dem will entfliehen in der heil. Christenheit mit der Ehe, der muß zween Fittig oder Flügel haben, einen Fittig, wie man zur Ehe kommen soll, den andern wie man in der heil. Ehe soll leben: der Fittig hat 5. Federn, die bezeugen fünfferley Reuschen, die ein jeglicher Mensch meiden soll, das zur Ehe kommen will. Lepidam coronæ imperatoriæ explicationem glossatores speculi Saxonici exhibent ad Lib. III. art. 60. Die Crone, welche dem Keyser der Pabst aufsetzet, ist ein Krantz, welcher gleich als mit einen Schwibbogen verschlossen ist, und hat 4. Lilien. Dadurch wird angezeiget, daß ein König für sich sanfftmüthig, gütig und gottesfürchtig seyn solle, auch andere Leute also machen, welche aus den 4. Elementen seyn gemacht worden. Demüthig und sanfftmüthig soll er seyn gegen die Frommen, und ohne allen Zorn, gleich wie die Lilie unter allen Blumen sonderlich ohne Stachel

ist. ꝛc. Ultimum, quod propter absurditatem meret recensionem, exemplum ineptissimæ explicationis symbolicæ occurrit in Glossa ad artic. VII. Weichbildici Magdeburg. GOtt der da allmächtig ist aller Ding, und geschaffen hat Himmel und Erden, der erschuff erstlich zwey Lichter auf Erden uns zu bescheinen, die uns denn zeigen zween Gewalt. Bey der Sonnen ist bedentet der Pabst, bey den Mond der Keyser. Das eine ist scheinende dem Tag, das ist, der Seelen, und der Mond des Nachts, das ist dem Leibe. Denn dieses, das der Mond heist, muß seinen Schein empfahen von der Sonne, und je ferne der Mond kömmt von der Sonnen, je sein Schein vollkömmlicher ist, und also ists auch mit dem Keyser. Denn wenn der Keyser seinen Schein auch mit der Weihung empfähet, und gechrysamet wird und gekrönet, so hat er vollen Schein. Egregiam sane navavit operam, & simul viam quam in interpretandis legibus negotium aliquod sub symbolorum involucro expediendum præscribentibus, sequi debemus, monstravit juris & peritissimus & prudentissimus Gundling. *in Gundl. P. II. p. 169.* scotationis Canonicæ sistens explicationem. Omnia itaque alia fundamenta, ex quibus communicantium inter se animus patescit sedulo prius sunt examinanda, quam ipsæ externæ sub quibus illæ latent, species, in considerationem veniunt. Sic insignia, quæ dicuntur paria diversis familiis communia juxta artis Heraldicæ principia, communis quidem originis dant conjecturam, quæ tamen ipsa corruit, si historia Genealogiæ certa adversatur. Sic & controversiæ, quæ occasione horum insignium (quales dari tam inter principes cruenta olim inter Scandinaviæ reges de trium coronarum ornatu heraldico concertatio & in Germania inter Saxonicam & Lauenburgicam gentem ortum litigium de jure gladios illos Electorales quos dicunt, clypeo inserendi, quam inter cives nobiles experientia clare testatur) agitantur, certiores omnino plures alios habent fontes, ex quibus dijudicari possunt, iis ipsis, qui hauriuntur ex imaginibus,

§. XI. Ma-

§. XI.

Maxima autem difficultas ex ambiguis oritur ſymbolis, quæ ſcilicet in utramque partem admittunt explicationem: Quis enim non agnoſcit eosdem ſcrupulos, quos æquivocatio ratione ſermonis parit, & hic ubi ſignis quaſi loquimur, poſſe occurrere, ſi dubiis, univerſalibus, pluresque ſimul referentibus imaginibus, homines utuntur: optime hinc Gundling. L. c. p. 176. monet: in allen republiquen müſſen die regenten auf deutliche Zeichen bedacht ſeyn, damit nach der Zeit kein Gezäncke entſtehe, und zu weitläufftigen Streit und proceſſen Thür und Thor eröffnet werde. Eas, quæ circa ſcotationem olim oriebantur, controverſias, ipſe papa decretali, quam dicunt, epiſtola compoſuit, cujus excerptum exhibet cap. 2. X. de conſued. *cum hujusmodi*, ita decidit Innocentius III. *ſignum quod ſcotatio dicitur, non tam factæ donationis, quam traditæ poſſeſſionis ſit evidens argumentum.* Sic conſtat arrhas haud levibus occaſionem dare diſputationibus, quas quotidie in ipſis rerum argumentis occurrere, docet experientia, dum eædem, mox ut emtionem venditionem perfectam, mox ut perficiendam inde deſignemus, adhibeantur. Parem ſæpius movet difficultatem, pari ratione dubium reddit negotium annulus, qui mox inſervit ſponſalibus contractis deſignandis, mox omni caret ſignificatione, ſimplicis donationis objectum exiſtens. Obiter hic quoque in mentem venit oſculum, quod interdum pacis & amicitiæ eſt indicium, interdum libidinem prodit, & mox feloniam involvit, vid. Horn. *jus feudale* c. 23. §. 8. mox actioni injuriarum locum dat & pœnæ extraordinariæ, cujus ſingulare exemplum occurrit in vita Sixti V. & curioſa eſt diſputatio, quomodo oſculum a clerico fœminæ datum ſit interpretandum, in bonam an malam partem? ineptiſſimi gloſſatores, propriam cauſam agentes, in C. 14. cauſa II. quæſt. 3. ſtatuunt clericum amplectentem mulierem præſumendum eſſe, illud facere benedicendi cauſa; celum ſingularem caritatis ſupponentes; a qua

tamen caritate, Nevizan. in sylv. nupt. quem Stryk. *de jure sensuum* allegat diss. VII, c. 5. num. 15. exclamat, libera nos domine: & æqualem hic contra clericum ac laicum ex osculo militare præsumtionem asserit Farinacius ibid. Quid itaque fiet si talia symbola dubia occurrent? non opus est hic novis regulis, uti jam præmonuimus; iis sufficientibus quas hermenevtica, quam vocant, doctrina subministrat: si autem communicatio sit perplexa plane & inextricabilis, totum corruit negotium; ceterum omnis, ut illud salvum servetur, adhibenda est diligentia, adminiculantibus variis, quæ, quo minus hic inseramus, obstant angusti nostræ tractationis cancelli, subsidiis.

CAP. IV.

De

Præcipuis quibusdam in jure vario occurrentibus symbolis.

§. I.

TAndem ordinis hactenus adhibiti ratio vult, ut ad exempla symbolorum jurisprudentiæ inservientium deveniamus. Antequam tamen huncce ingredimur campum, præmonendum duximus, nimiam horum signorum multitudinem impedire, quominus omnia recensere valeamus, hincce saltem potiora, quæ forte fortuna observavimus, allegabimus. Deinde, licet non negandum, ex explicatione accuratiori variorum symbolorum, quæ præcipue ex antiquitate prima ad nos profluxere, haud contemnendum commodum posse emergere; ipsis negotiis, quæ sub hisce figuris olim fuere peracta, insigne inde accipientibus lumen: cum tamen hacce ratione immensum & majoris molis opus requirentem laborem susciperemus, vel saltem pauciſſimis horum signorum originem indicabimus, vel genuinam eorum rationem

aliis

aliis relinquemus examinandam. Quid quod omnia, quæ huc tendunt molimina, quanta etiam sint, haud raro erunt inania, quia & legislatores & JCti & introducentes & conservantes in juris materiis symbola vel usum & consuetudinem, cujus fere ordinarie ignoramus fontes, vel proprium genium secuti, modo hanc modo illam ex arbitrio elegerunt formam externam ad exprimenda animi sensa. Et si a linguis deducto simili nostrum inventum illustrare volumus, (quod omnino propter communem, quem & illis & hocce quærimus, propterque communem, qua constant, naturam licebit) deprehendimus quidem haud raro homines in vocibus constituendis eorum, quibus ipse sonus formatur, organorum naturalium rationem secutos fuisse, quod Rædlein in præfat. Gram. Gall. ex varia flexione vocum latinarum, a diversis gentibus e. g. Hispanis, Italis, Gallis &c. receptarum demonstrat; ille tamen ridiculum sine dubio præstabit laborem, qui hoc nisus fundamento origines omnium vocum velit examinare: pari quoque modo circa symbola versatos esse homines constat, quod jam antea cap. I. asseruimus: nec aliter ea nostræ jurisprudentiæ fuere inserta; ut scilicet interdum earum introductarum naturalis plane ratio sit, & statim pateat, interdum non nisi difficulter possit erui, interdum autem plane nos fugiat. Obiter adhuc observabimus, quemadmodum plures ejusdem naturæ entium, quæ vocantur moralium species inter plures sæpius gentes æque receptas videmus, quarum ab una ad aliam perlatarum plane nulla licet invenire vestigia, & ita, ut credamus est necesse, ea omnia communi dictitante ratione inter diversissimos hominum cœtus fuisse & inventa & approbata; quemadmodum & forte fortuna homines sonos pares ad designanda paria negotia & elegerunt & retinuerunt: ita & leges gentium diffitarum plane fovent plura symbola mire inter se convenientia, quæ proinde, ut quasi ab una in aliam derivata statuamus, & ita hanc, vel illam gentem inventionis gloria privemus, non opus est; iniquos

Ger-

Germaniæ noſtræ cenſores antea ex hocce fundamenta taxavimus.

§. II.

Initium autem noſtræ collectionis ex eo jure, quod & certiſſimum & ſanctiſſimum inter majores hominum cœtus, quos Gentes vocamus, vinculum conſtituit, deſumamus. Et quidem dum antea demonſtravimus quantum ex ſymbolis communicationi etiam gentibus neceſſariæ accedat commodum, non dubitandum ea quoque eſſe uſitatiſſima, & eatenus ad jurisprudentiam gentium referenda, quatenus exhibent imagines negotiorum ex hujus fundamentis dijudicandorum. Ex antiquiſſima, quam ſacer Codex continet, negotiorum inter gentes agitatarum, hiſtoria haud pauca, quæ huc pertinent, poſſumus haurire excerpta, quorum aliquot hic obſervabimus. Signa pugnæ Judæis ordinaria erant clamor militaris & tubarum clangor, cujus paſſim mentio fit, præcipue in libro Joſuæ c. 6. Cruento ſigno contra violatores hoſpitii juris, populus Judaicus provocabatur, c. 19. libr. Judic. Extraordinarie merito vocare poſſumus ſymbolum, quod Philiſtæi ex juſſu divino Hebræis una cum arca, quam vocabant, fœderis Judæis mittebant, 1. Reg. 6. v. 4. Atrocis injuriæ ſignum involvebat factum Ammonitarum, legatis Davidis barbam & veſtimenta recidentium 2. Reg. 10. Sic & ſymbolica erat legatorum regis Joas ad Amaziam miſſorum oratio 2. Paral. 25. v. 17. Innumera autem alia, ſub quibus varii populi ſua invicem, vel pacis vel belli expedierunt negotia, ſymbola referunt hiſtorici varii. Duo, quæ optimo jure merent, ut hic allegentur, occurrunt illuſtria exempla apud Livium; utraque non ſolum ſingularibus ornata obſervamus imaginibus, ſed & ſolennibus, quæ Romanis admodum uſitata erant, verbis. Primum refert fœdus ictum Romanos inter & Albanos, cujus Livius l. 1. c. 24. recenſet cerimoniam ſequentibus verbis: *Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit; poſtea regem ita rogavit; rex facis ne me tu regium nuncium populi Romani*

Qui-

Quiritium? vasa, comitesque meos? Rex respondit: Quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fetialis erat M. Valerius, is patrem patratum Sp. Fusium fecit verbena caput capillosque tangens fœdus peragit. Legibus deinde recitatis: audi, inquit, Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet, si prior defecit publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque: id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Alterum specimen symbolicum obvenit in annunciationibus bellicis quas Ancus Martius instituit, legatus enim capite velato solennes illas, quas Livius lib. I. c. 32. refert orationes hisce verbis finit: *ob eam rem ego populusque Romanus populis Latinorum bellum indico facioque:* & proinde hastam in fines eorum emittebat. Huc porro pertinet & magnus numerus aliorum symbolorum ubicunque inter gentes & antiquas & modernas usitatorum e. g. honorem mutuum, vel ignominiam, inducias, pacem, bellum, deditionem, occupationem designantia & alia hujus generis sexcenta quæ lubenter omittimus. Obiter autem adhuc mentionem faciamus quorundam signorum, quæ maximi momenti jura exprimendi & significandi gratia adhibentur. Inter quæ primo loco numeranda desponsatio reipublicæ Venetæ cum mari Adriatico, quam multis imaginibus refertam inter plures alios autores describit Misson in peregrinatione p. 328. Dominium inde suum in mare illud respublica illustrissima, quod hac ratione velit demonstrare satis est notum, quemadmodum & constat, illud ipsum dominium ex dono Alexandri III. Papæ originem trahere, a quo & cerimonia est excogitata & præscripta. Ceterum quantum Veneti hacce pompa suæ consuluerint causæ, numque hoc festivo apparatu, sua in mare Adriaticum stabilire aliarum contra omnium gentium

jura intervertere valeant, ut examinemus, non opus habemus. Ultima, quæ hic non prætermittenda duximus, sunt signa illa notissima, & maxime necessaria, proprietatum distinguendarum gratia inventa, quibus fines & limites intergentes determinantur. Hisce ut sanctitatem inviolabilitatemque eo majorem conciliarent Romani, divinum numen horum specialem curam gerens fingebant, quod Deum Terminum vocabant: hinc Dion. Halycarn. lib. 2. de Numa refert, *agros publicos certos complexos finibus, ut Romanum agrum a vicinarum urbium agris terminales Dii secernerent.* Symbolorum autem huc pertinentium Lazius lib. I. de republica Romana quatuor enumerat species, scil. murum, flumina, stipites, saxa. Quæ signa quo sunt faciliora quo simpliciora eo communiora quoque aliis populis. Dum autem hic & flumina & montes videas passim territoriorum limites constituere, nihil obstat, quo minus hosce fines naturales possis vocare, & ita eos discriminare ab artefactis; a qua significatione ii recedunt, qui ab ipsa natura singulis populis suos esse fines positos statuentes, satis suam opinionem credunt probatam, argumentis deductis ex montibus, fluminibus, maribus, sitis, inter terras a diversis populis hactenus inhabitatis, cum quibus & Hygenus de limit. constit. quem Schilter in Exerc. ad ff. §. 1. de Fin. Regund. allegat, videtur facere, dum dicit; *Inter omnes mensurarum ritus sive actus eminentissima traditur limitum constitutio, est enim illi origo cœlestis;* quam tamen sententiam ut hic examinemus, non opus est.

§. III.

Pergamus jam ad illud, quod ipsas respublicas continet, ordinique tam imperantium quam parentium sua præscribit officia, jus, quod publicum vocamus; & ex hoc quoque quædam, quæ a diversis rebuspublicis fuere recepta symbola ad significanda varia negotia publica observabimus, nam maximus, quem eorum deprehendimus, numerus non permittit, ut singula enarremus. Apud Judæos dignum est, quod primo

loco

loco ponamus, symbolum regem electum designans a Deo ipso præscriptum, scilicet unctio; sic enim aliquoties legimus summum numen prophetas expresso misisse jussu, ut hocce ritu declararent & designarent eum, ad quem summam imperii vellet deferri; ceu patet ex 1. Reg. 10. & 16. v. 12. uberrime autem ex antiquitatibus Judæorum unctionis cerimoniam explicavit Schikardus *de jure regio Hebræorum theor. IV.* Sic & Salomo non sine solennibus ceremoniis a vivo Davide declaratus est ipsius successor in regno III. Reg. c. 1. v. 33. seq. Nec desunt exempla aliorum symbolorum, quorum splendore tam Judæorum, quam aliorum populorum reges, quorum historiam sacer codex exhibet, suam stabilire inter cives autoritatem crediderunt, quo pertinent sceptra, coronæ, throni aliaque plura; circa quæ fere omnium gentium consensum observare licet, ita quidem, ut & simplicissimarum alias & pauperrimarum, quas Hispani, Angli, aliique Europæi peregrinatores, in ultima, ut ita loquor, Thule adierunt, reguli ornati incedant quibusdam, sæpius vilissimis, insignibus, & splendidiori præillis, qui ipsorum agnoscunt imperium, apparatu. Singularem quoque I. Reg. X. v. 7. annotamus, sub signo extraordinario factam Judæorum ad bellum contra regem Ammonitarum convocationem; scil. distributis sanguinolentis bovis mactati particulis. Romanorum respublica varias per tantum, quo floruit, temporis spatium passa est mutationes, hincque diversa etiam juris publici fuit conditio; nulla tamen ejusdem portio suis caruit symbolis; quid quod si uniuscujusque revolutionis historiam inspicimus, observare possumus, quam callide diversi hujus reipublicæ moderatores suam potestatem sub signis plane aliud repræsentantibus, sæpius celaverint & occultaverint; in quo præcipue primi Imperatores ut populi invidiam aliquo modo evitarent, miros se exhibuerunt artifices. De Romulo notabilis maxime est locus Livii, qui l. 1. c. 8. occurrit; *Vocata*, scribit illustris hic historicus, *ad concilium multitudine quæ coalescere*

in populi unius corpus nulla re, præterquam legibus poterat, jura dedit, quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si seipse venerabile insignibus imperii fecisset, quum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumtis fecit. Regibus ejectis Consules quoque signis sui officii splendorem designantibus utebantur, imo uti ex ipso Livio patet, eadem hæc non multum discrepantia fuerunt ab antiquis regiis, sic Aruns Tarquinius l. 2. c. 6. in Brutum consulem invehitur: *ille est vir, qui nos extorres expulit patria, ipse ea ille nostris decoratus insignibus magnifice incedit.* Innumera ex hoc tempore symbolorum ad nostram hancce classem referendorum apud scriptores antiquitatum Romanarum deprehendimus vestigia; huc pertinent fasces & secures, sella curulis signa imperii & jurisdictionis, equi albi, laticlavus & sexcenta alia. De quibus omnibus, cur præcise sint electa, nihil plane constat, imo dubium est, an primi eorum inventores secuti fuerint certum fundamentum, hincque curiosam magis quam utilem puto eam, quam Livius adhibet diligentiam in perscrutanda ratione numeri duodenarii, qui Romulo in eligendis lictoribus placuit, l. 1. c. 8. Quemadmodum autem ii, qui post Hadrianum Romano orbi præfuerunt Imperatores, liberiori multo potestatis absolutæ exercitio utebantur in cives jam jugo adsuetos, ita quidem ex antiquioribus plura retinebant symbola, plura tamen nova tam suæ majestatis clarissima indicia, quam singulare quid testantia introducebant; huc referimus labarum illud tantæ olim existimationis, ut a militari turba adoraretur, de quo vid. Septimius *in apologetico*, Sozomenus *in histor.* num titulus Codicis nostri *de præpositis laborum* huc pertineat, jam non inquirimus. Huic postea labaro Constantinus M. signum crucis intulit teste Baronio in Annalibus, qui & autor ibidem explicat globum imperatorium a Justiniano adhibitum & cruce ornatum. Ad nostram porro tractationem pertinent imagines Imperatorum Romanorum, asyla confugientibus ad eas præbentes, quæ alias sacri vultus L. 1. C. pu-

C. publicæ lætitiæ; item ſerenitatis Auguſtæ imagines & ſtatuæ paſſim audiunt. Sed ut vela hic contrahamus eſt neceſſe, pergentes ad ea quibus Germani noſtri negotia publica adumbrarunt, ſigna; quorum haud parvus ſupereſt numerus, iisque maximopere eſt ordinarium, ut, quo ſunt antiquiora, eo magis ſimplicitatem, eo minus pompam referant. Hic ſtatim ſe offerunt ſtatuæ illæ Rolandinæ, uti dicebantur, jurisdictionis olim ſigna ſatis vulgaria, a quibus inſignis juris antiqui portio, quod Weichbildum vocabatur, ſine dubio ſuam traxit denominationem. Varia quæ huc faciunt collegit Schottelius ſæpius laudatus & Gryphiander. Aliud ſymbolum ejusdem fere indolis occurrit in artic. 9. des Sächſiſchen Weichbilds, variis tamen fabulis ornatum & ineptiarum quaſi nube obvelatum; præcipue autem huc pertinent ſequentia verba: Das iſt noch das Uhrkund, wo man neue Städte bauet, oder Märckte macht, daß man da ein Creutz ſetzet auf den Marckt, durch das man ſehe, daß Weich Fried da ſey, und man henget auch da des Königes Handſchuh daran, durch das man dabey ſehe, daß es Königes Wille ſey. Aliud licet falſiſſimum imperii ſignum in ambobus ſpeculis ſæpius inculcatur & repetitur, duorum ſcil. gladiorum; ſic enim orditur art. I. L. R. L. 1. Zwey Schwerd ließ Gott auf Erden zu beſchirmen die Chriſtenheit, den Pabſt das geiſtliche, dem Keyſer das weltliche. Quem locum abſurdiſſimi gloſſatores ita explicant: Diß ſind die zwey Schwerd, davon in Evangelio die Jünger ſagten zu Chriſto: Hie ſind zwey Schwerd, und Chriſtus ihnen antwortete, und ſprach, es iſt genug. Dieſe zwey bedeuten geiſtliche und weltliche Gewalt. Das eine hatte damahls S. Peter, welches nun der Pabſt hat, das andere S. Johannes, das nun der Keyſer hat. Veſtimentorum adhuc ſymbolicorum ſpecimen adhuc liceat hic ex art, 69. L. R. Lib. III. excerpere: Wo man dingt unter Königs Bann, da ſollen weder Richter noch Schöppen Cappen anhaben, noch Hüte noch Hauben, noch Handſchuhe. Die Mäntel ſollen ſie auf den

Achseln haben. Explicationem vid. in glossa ibidem quæ tamen num recte se habeat, hic non investigabimus. Plura non annotamus, quemadmodum & sicco pede præterimus innumera, quibus adhuc publica nostra negotia expediuntur & solennia maxime symbola.

§. IV.

Licet illa societas, quam homines ideo ineunt, ut Deum conjunctis viribus colant, & ita æternam præprimis salutem promoveant, quamque ecclesiam vocamus, videatur respuere petitum ab externis rebus splendorem; nihilominus tamen, dum ipsi, qui sacri hujus consortii vinculo sunt connexi, homines necessaria non possunt carere communicatione, imo plura sæpius peregrina negotia religioni admiscent, quod eo frequentius contingit, quo magis ejus puritas innumeris superstitionum maculis contaminatur, non mirum inde si hic uti alibi deprehendimus symbola. Et quidem si sacram illam, quæ olim sub miraculosa summi numinis directione floruit societatem populi Judaici consideramus, plura, quæ nostro inserviunt scopo, licet plane alium fontem quam illa quæ sequioribus ætatibus ab hominibus inventa sunt, agnoscentia, observamus exempla; quo merito referimus unctionem, varia vestimentorum ornatuumque genera sacerdotibus a Deo injuncta, aliaque plura, quæ non carent singulari & mystica, quam vocant, significatione. Ex Romanorum re ecclesiastica unum saltem hic specimen proferemus, quod Livius lib. I. c. XX. inter Numæ Pompilii instituta recenset, *tum*, sic narrat historicus, *sacerdotibus creandis animum adjecit, flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit: insignique eum veste & curuli regia sella adornavit: huic duos flamines adjecit: Marti unum, alterum Quirino, virginesque Vestæ legit: virginitate aliisque cerimoniis venerabiles ac sanctas fecit.* Illæ autem, quas juri Canonico debemus leges ecclesiasticæ sunt refertæ tanto symbolorum numero, ut haud parvæ molis liber extiturus sit qui omnia ibi occurrentia possit continere:

quip-

quippe omnes fere qui juxta normam hujus juris ſuſcipiuntur actus publici fiunt ſub pompa cerimoniarum, quarum quævis ex impoſitione ſingulare quid ſignificat; ipſæ haſce functiones expedientes perſonæ ſpecioſe incedunt, & ex tot & multijugis, quibus ſunt indutæ & obrutæ quaſi veſtibus & decori externi generibus vix ullum reperitur ſua carens repræſentatione, quemadmodum & loca omnia deſtinata ſacris negotiis ſymbolis ubique referta videre licet. Quid quod eo proceſſere harum legum architecti, ut vix ineptiarum labem evitare poſſint; genuinam autem hujus abuſus rationem expoſuimus §. 7. c. 3. h. diſſ. Aliquot ſaltem & quidem admodum pauca quæ forte fortuna obvenerunt, in medium proferemus, juxta quæ alia plura ejusdem farinæ poſſunt dijudicari: ſic baculus ille epiſcopalis qui camboca vocatur, plura ſimul ænigmata comprehendit, quorum explicationem Finkelthuſius *in controv. feudal. diſſ. 2. p. 40.* ex mente Canoniſtarum ita inſtituit: *per baculum a quibuſdam interpretibus doctrinæ autoritas denotatur; curvus vero eſt hicce baculus exemplo baculorum aliorum, quibus paſtores uti ſolent ad retrahendos animalium pedes: ut enim illi in fine ſolent eſſe acuti, in medio recti, in ſummo inſtar circuli retorti: ita- boni paſtoris eſt non ſolum peccata hominum corripere, ſed etiam errantes in viam veritatis retrahere & recolligere, atque ita reſipiſcentes in gremium recipere, ac rectitudine judicii & manſuetudinis confirmare.* Pari ratione pallium illud inſigne dignitatis & poteſtatis ſacræ plura ſimul ſymbola in complexu exhibet, in quibus explicandis plures juris Canonici Dd. deſudarunt. Vid. Gonzalez Tellez ad tit. X. *de autoritate & uſu pallii.* Lubenter autem hunc immenſi laboris campum linquimus, Illud tamen adhuc obſervamus, ſæpius inter purioribus ſacris addictos diſputatum fuiſſe, num varia, quæ ex pontificiorum caſtris mutuata adhuc paſſim retenta ſint, ſymbola, poſſint ſervari? quo pertinent varia veſtimenta cleri, candelæ accenſæ aliaque plura; quæ rejecit plane Stryckius junior in diſſ. *de jure Sabbathi;* Brunneman. contra

in jure

in jure ecclesiastico lib. I. c. 6. illa retinenda asserit: *nemo tamen*, dicens, *existimet me improbare cerimonias, quæ splendorem conciliant, ut vestes sacræ & similia; hæc enim non ut pars cultus divini considerantur, sed habent aliquam significationem piam.* Plurimum autem hic legislatoris prudentis arbitrio relinquenda esse, quilibet agnoscit.

§. V.

Ad feudalia nunc ut transeamus jura, ordo rerum postulat, cumque ipsa feuda, quod eorum docet historia, originem præcipue debeant suam bellis, ita ut inter strepitum armorum quasi nata esse videantur, cum & inter turbas bellicas signa communicationem mutuam, belligerantibus necessariam, magis sæpius promoveant, quam ipsa loquela, non mirandum quod & in negotiis feudalibus non raro symbola observemus. In primo statim limine hujus tractationis occurrit investitura, quam ut plurimum symbolis expediri satis superque notum est; de quibus Struvius in syntagm. juris feud. cap. 8. §. dicit: *istiusmodi symbola, quæ secundum diversam locorum consuetudinem adhibentur, sunt: hasta, corona, biretum sive pileus, sceptrum, baculus, ensis, vexillum, annulus, & hujusmodi alia.* Singulare autem signum est quo Rudolphus I., referente Lehmanno in chronico, usus, scil. cum sceptrum imperiale ad manus non esset, secularibus non minus quam ecclesiasticis principibus feudorum suorum investituram per signum crucis concessit, *ecce*, inquiens, *signum in quo nos & totus mundus est redemtus, & hoc signo utamur loco sceptri.* Sic & Camerarius centur. I. horarum subsecis. cap. VI. in fin. mentionem facit æque extraordinarii alicujus symboli in re feudali occurrentis; scil. Sabaudiæ comes Petrus ab Ottone IV. imperii feudum petiturus habitu duplici incessit, latus enim dextrum ejus vestibus inauratis egregie ornatum, sinistrum vero armis lucidissimis ferreis erat munitum: imperator quid sibi hic distinctus & inusitatus mos vestiendi vellet, ab eo scisitatur; comes responder: *aurum se gestare in dextra parte ad honorandam majestatem impe-*

imperatoriam, in sinistra vero se esse armatum, ut contra malevolos & obtrectatores pugnaret. Sic & tali aliquid continebat investitura olim comitis Mansfeldiæ, quam a præsule Magdeburgensi ferebat, in qua Archiepiscopus vasallum osculando simul pede leviter comprimebat, it. illa investitura per funem campanæ, quam habet Cironius in compilat. decretal. p. 87. Nota quoque est controversia inter Cæsarem & Papam diu olim agitata scriptis & armis de jure investiendi episcopos; & quidem imperatores olim sub signo annuli & ferulæ pastoralis juxta Albertum Stadensem vel baculi pastoralis pretiosi de ligno Hebeni juxta Cranzium *in Metropol.* episcopos confirmabant: cui tamen juri posteaquam renunciarunt imperatores, mutatum quoque est symbolum, ita ut in investiendis episcopis ab initio adhibitum fuerit sceptrum, postea quemadmodum in aliis feudis regalibus gladius placuerit. Sæpius quoque in jure feudali Svevico & Saxonico mentio fit clypeorum militarium sive derer Heer-Schilde, quosque merito exempli loco hic possumus allegare: notabilia sunt verba Schilteri *in Commentario ad jus feudale-Aleman.* cap. I. §. 1. *Nobilitas Teutonica clypeis militaribus æstimatur, & gradus illius scuta militaria* Heer-Schilde *appellantur, atque ipsis clypeis insignia cujusque nobilis depingi solita sunt, atque in actu investituræ tanquam symbola ipsius rei tradita vasallis, id quod donum investituræ* II. F. 27. §. 2. *appellatur.* Investitura autem non solum symbola fovet, sed & ipsa servitia sæpius sub signis & imaginibus exhibentur; ubi inter novissima & paulo rariora exempla referendum beneficium Duci Marleburgensi ab Anna regina collatum hacce lege, ut ipse & posteri in memoriam prælii Hochstædtensis singulis annis eadem die partæ victoriæ regi vexillum album tribus liliis aureis ornatum offerrent. Vid. Hornii Jurisprud. Feud. p. 379. Signa maxime ludicra quoque olim frequentiora erant, quam hodie, quorum plura collecta exhibet Besoldus in thesauro voce Lehns-Dienst: hic occurrit vasallus certo die cantilenam cantans, portans ramum viridem, offerens alaudam boum

curru vectam; item alius beneficiarius ferens certam ligni portionem ad focum domini. Circa alienationem autem feudorum hic se offert cerimonia inter Lusatiæ nobiles adhuc vigens, vulgo den Verritt dicta, de qua vid. Bornii diss. *de transmut. feudi in allodium.* Antequam autem juris nostri feudalis cancellos relinquimus, non prærermittendam duximus investituram illam symbolicam quæ a feudalibus rebus ad allodiales quoque est extensa, & haud raro in Germania occurrit, præcipue, attestante Beiero *in delineat. juris Germ.* cap. 9. §. 4. in immobilibus & quidem urbanis in Saxonia imprimis usitata est: ipsa signa autem recenset §. 11. ibid. *in perantiqua*, dicens, *urbe electorali Libenwerda fronde viridi interveniente peragitur; ita jam olim res magni momenti hastæ, mediocres virgæ, minimæ culmi vel stipulæ interventu tradebantur.* Memorabilia sunt quæ huc faciunt verba de Ludewig in tr. de jure clientelari Germanorum p. 52. in not. *in Halensi civitate, antiqua consuetudine* **Lehn auflassen, in Lehn und Würden geben**, *ille actus dicitur quo ædes urbis, quæ cujusque civis privati propriæ sunt, in matricula reipublicæ emtori adscribuntur, nomine pristini possoris inde deleto. Quid quod etiam symbola feudis solemnia adhibentur in novi civis inauguratione, quippe consulis pileum is attrectat.*

§. VI.

Ordo jam tangit eas dispositiones imperantium, quæ delicta civium circumscribunt, quæ pœnas statuunt. Hæc autem, dum consistit in repræsentatione mali, quæ deterret homines ab actionibus pravis, symbola concinne satis hic posse adhiberi clare patet, utpote quæ haud parum terrorem possunt augere, imo interdum fortius ipso malo, quod adjicitur, movent. Abunde hoc declarat ignominiosa & asinina & canina uti vulgo dicitur, corporis eorum, qui crudeles sibi ipsis intulere manus, a carnifice peragenda sepultura, quæ dum ipse propricida effugit omnimodo vindictam publi-

publicam, ut superstites, qui honorem etiam post mortem amant, habeant quod metuant, haud absque ratione est introducta; id quod exemplum Milesiarum virginum relatum a Gellio *in Noct. Attic.* lib. 15. c. 10. confirmat. Magnum itaque horum symbolorum numerum jurisprudentia criminalis omnium fere populorum fovet, ex quibus aliqua excerpemus. Ex lib. Maccabæorum apparet pœna Nicanoris occisi lib. I, c. 7. v. 46. it. L. II. c. 15. v. 32. Sic & symbolicæ pœnæ mentionem facit Livius in vita Tulli Hostilii regis Romanorum Metio Suffetio inflictæ, quamque ipse rex sequenti oratione explicat; *Meti Suffeti*, inquit, *si ipse discere posses fidem ac fœdera servare, vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset: nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quæ a te violata sunt: ut igitur paulo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis.* Ex jure Romano se offert Lex Remmia sive Memmia, uti quidam legunt, vid. Heineccii antiquit. p. 316. in not. injungens inustionem literæ K calumniatoribus, quia antiquos calumniam per k scripsisse constat: quo apprime facit locus Ciceronis pro Roscio ibidem allegatus. Idque ipsum est, quod Plinius in Panegyrico ait, delatores habere frontem ferream punctis & notis vulneratam. Hic & in mentem veniunt stigmata, quæ servis pœnæ & fugitivis, Romani solebant inurere, qui ita notati a Plauto vocantur *literati*, a Plinio *inscripti vultus*, ab Apulejo *frontes literatæ*. Singularis quoque erat pœna qua Philippus rex Macedoniæ afficere jubebat militem, contra jura hospitalitatis insigniter peccantem, cujus fronti inurebantur verba; *ingratus hospes* & Seneca lib. IV. de beneficiis c. 38 hancce pœnam approbat. Unicum adhuc & insigne pœnæ symbolicæ ex jure Romano allegare liceat exemplum, scil. quæ in crimine parricidii locum habet. Constat enim ex Lege Pompeja propositam pœnam in eo constitisse, quod parricida virgis sanguineis

verberatus, deinde culeo insueretur, cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, deinde in mare profundum jactaretur. Sunt qui credunt hæc animalia augendi cruciatus gratia fuisse adjecta; verum cum sine dubio & Romanis notum fuerit, ferocissimas etiam bestias in angustias ferales redactas mox omnem fere immanitatem amittere; verosimilius itaque est legislatores aliud quid inde intendisse, symbolaque hæc, ut significent quid, adhibuisse. Explicationem eorum ex glossa speculi Saxonici ad lib. II. artic. 14. hic exscribemus, sed num genuina sit, non inquiremus: Der Hund zeiget an, daß ein solcher Mensch seine Eltern nie mit Ehren bekanndt hat, wie der Hund thut, welcher die ersten 9. Tage blind ist. Der Hahn bedeutet des Menschen Frevel und dürstigen Hochmuth, den er an seinen Vater oder Kind begangen hat. Die Natter bedeutet solcher Eltern Unglück. Dann von dieser Gebährung sagt man also, daß wenn sie sich gatten wollen, so stecket das Mämlein sein Haupt in des Weibleins Mund, darvon empfähet sie, und allda beißet sie den Mämlein vor Wollust das Haupt ab. Darnach wenn sie die Jungen gebieret, muß sie von ihnen wieder sterben. Dann als dieselben sollen gebohren werden, beißen sie sich aus der Mutter Leibe, davon sie denn von Stund an stirbt. Der Aff bezeichnet eines Menschen Gleichniß oder todtes Ebenbild ohne Werck. Dann wie der Aff in vielen Dingen dem Menschen gleich ist, und ist aber doch kein Mensch, also ist dieser nur einen Menschen ähnlich gewest, ist aber mit der That und Hertzen kein Mensch gewest, weil er so unmenschlich an seinen eigen Blut hat thun dörffen. Leges Canonicæ uti in reliquis materiis refertæ sunt variis symbolis, hinc & ea non desunt in ipsis, quas injungunt, pœnis. Sic Urbanus III. cap. 3. X. *de crimine falsi* condemnat clericum qui signum regis falsaverat, ut ipsi in signum maleficii character imprimatur, quo inter alios cognoscatur. Sic & degradationis quam vocant Canonistæ plena est symbolorum quam Tolosanus Lib. I. Syntagm. juris universi cap. 30.

& En-

& Engel in Collegio juris Canonici P. III. Lib. VI. Tit. 17. latius depingunt: illustre autem ejus exemplum magni illius testis veritatis Johannis Hussi ad mortem condemnatio exhibet, quam Dœpler ex Rochii Chronico p. 18. ita describit: Vor Ubergebung der weltlichen Obrigkeit setzte man ihm eine von Papier gemachte Crone einer Ellen hoch in Form eines Bischoffs-Huts auf, dran grausame Teuffel gemahlet, und anben mit großen Buchstaben geschrieben stunde: *hæresiarcha* &c. Quod si ad patriam nostram respicimus jam Tacitus de moribus Germanorum testatur, antiquissimorum Germanorum pœnas conjunctas fuisse cum certis, quibus singulare quid significare volebant legislatores, momentis rerum; sequentia enim de illis narrat: *proditores & transfugas arboribus suspendunt, ignavos & imbelles & corpore infames cœno ac palude injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.* Maximus autem est numerus eorum symbolorum quæ varias pœnas & olim comitabantur, quæque adhuc observantur; impositionem notarum approbat jus Saxonicum prouti glossa juris Weichbildici ad artic. 38. disponit: diese Zeichen giebt man denen Dieben, man zeichnet sie zum ersten durch die Backen, zum andern mahl bey die Ohren, zum dritten mahl ein Creutz durch die Stirn. Præcipue autem jus militare retinuit inustionem, quæ Friderico I. quoque placuit, utpote de cujus temporibus canit Guntherus Ligurinus Lib. VII.

Armiger exusta candenti fronte metallo
Detorsaque coma post verbera pulsus abibit.

Scrupulositas itaque Constantini M. qui L. 17. C. de pœnis prohibet, quo minus in facie damnatorum scribatur, ne hæc, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, maculetur, nostris legislatoribus nullum movit scrupulum. Ridicula autem est propter singulares plane, quas fovet, imagines, pœna injuriæ, hominibus vilioris conditionis illatæ,

occurrens in cap. 397. speculi Suev. Spiel-Leuten und allen denen die Guth für Ehre nehmen, und die sich zu eigen ergeben haben, denen giebt man den Schatten eines Mannes gegen der Sonne; das ist all so viel gesprochen, wer ihn ichts Leides thut, deß soll man ihn also bessern, daß der jenen beleidiget hat, an einer Wand stehend, da die Sonne anscheinet, und soll der Spielmann dargehen, oder der sich zu eigen hat ergeben, und soll an den Schatten der Wand schlagen mit der Faust, damit soll ihm gebüßet seyn und gebessert. Huc pertinet porro lapis vituperii de quo Dœpler cap. XVII. Die Auspauckung und Aufsetzung eines Stroh-Crantzes, it. pileus flavus aut viridis vulgo das Scheln-Hütlein. Frequentissima præcipue medio ævo fuit κυνοφορια, quam vocant, de qua fusius agit idem cap. LX, rationem autem hujus symboli exponit Camerarius *cent. 2. horis subsecivis:* canem a nobili portatum fuisse ideo, ut eum officii sui neglectum admoneret, quod erat excubare in aula, & regem custodire & defendere. Extraordinaria quoque est pœna, qua afficiebantur scabini arcana judicii Westphalici revelantes, quam ex Turkii fastis Carolinis Thomasius in diss. alleg. p. 50. ita describit: *Scabinorum quispiam, si ulli homini tesseras aliave arcana detexerit, re manifesta cum Freugrafius cæterique Scabini apprehendunt manus colligunt, linteo oculos obvelant, dejectoque prono in terram, linguam reflexam per cervicem extrahunt, extractæ parvulum refigunt repagulum, tum injecto collo triplici laqueo, septenis pedibus altius quam cæteros, miserum hominem suspendunt.* Pergamus autem ad ea symbola, quæ in judiciis criminalibus, pœnæ executionem antecedentibus, non infrequentia sunt. Apud Romanos, teste Sigonio de judiciis, primo se offerunt Quæsitores, qui præerant judiciis publicis, sedentes in sella curuli gladiumque positum ante se habentes in signum imperii; receptus reus vestem mutabat, posita enim toga alba sordidam & obsoletam sumebat, quod vult Heineccius p. 347. P. 2. vel atram aut pullam juxta Sigonium de judiciis. Tabulæ quoque

que huc referendæ judicibus vel populo datæ vel A. i. e. absolvo vel C. i. e condemno vel N. L. i. e. non liquet inscriptæ; quibus Græcorum consuetudo accedit proxime de qua Ovidius in Metamorph.

Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis
His damnare reos illis absolvere culpam.

Ex Lege Salica Tit. 61. curiosa est cerimonia in judicio homicidii occurrens, quam Chrenechrudam vocabant, quamque licet genuinus significatus hujus vocis non satis sit clarus, Du Fresne in glossar. ex ipsis verbis legis ita describit: *qui hominem occidit. nec in facultate sua habet unde legem seu multam exsolvat, adjunctis 12. juratoribus nihil sibi esse in bonis præter ea quæ tradidit, sacramento cavet. Tum proximiores agnatos ad reliquum multæ exsolvendum invitat, facta in eos bonorum suorum omnium cessione, hac cerimonia, hocque ritu: Domum suam ingreditur, & collectum de quatuor illius angulis pulverem pugno tenens, ad limen revertitur, in eoque stans, ac vultu in interiorem domum obverso, sinistra manu pulverem in proximiorem agnatum trans scapulas mittit, quo facto egreditur nudus, ac sola camisia indutus, & palum manu tenens supra sepem salit.* Germanorum quoque processus criminalis tam antiquus quam hodiernus non caret hujus generis symbolis; sic Dœpler. sæpe allegatus p. 39. n. 144. refert. Von den Acht-Gericht oder Bann-Recht: der Ankläger bittet ihme den Frohn-Boten zu leihen, daß derselbe seine geschliffene Wehr ausziehe, und ihme dem Kläger dieselbe mit gewapneter Hand i. e. mit einem Blechhandschu fürtrage. huc & pertinet quod idem habet. p. 162. Wenn das Urthel öffentl. durch den Gericht-Schreiber verlesen worden, so zerbricht der Richter den Stab, welchen er in der rechten Hand hält, und übergiebt den armen Sünder dem Scharffrichter ꝛc. & mox ist auch an etlichen Orthen der Gebrauch, daß die Bäncke, darauf Richter und Schöppen gesessen, umgestossen werden, anzudeuten daß sich das Halß-Gericht geendiget. Sed, ut vela contrahamus est necesse.

§. VII.

§. VII.

Tandem illæ se nobis offerunt leges, quæ negotia civium privata dirigunt, quorum autem dum ambitus est maximus, ita haud parvum symbolorum numerum includunt, ex quibus aliquot, quæ pro aliis videntur curiosa, hic in medium proferemus. In eo, quod a personis nomen habet jure, ex sacro codice notabilis observanda venit cerimonia, a Deo ipso injuncta circa servum qui post septennium ex domini potestate exire nolebat, *tunc enim*, sunt verba Exodi 21. v. 6. *si dixerit servus amo herum uxoremque meam & liberos meos, neque liber egrediatur, tunc herus eum sistet magistratui, jubebit accedere ad ostium aut ad postem, auremque ejus subula perforabit, ac ei mancipium in æternum serviet*, ad quem locum Clericus in Commentar. p. 112. putat huncce ritum inde esse ortum, quod solerent servi apud Syros esse auribus pertusis Petronium cap. 102. allegans, ubi Giton dicit: *circumcide nos ut Judæi videamur, & pertunde aures, ut imitemur Arabes:* non immerito, quoque huc referimus locum Genes. 30. v. 3. ubi Rachela ad Jacobum dicit: *En servam meam Billam cum ea congredere, parietque ea super genua mea:* hunc enim ritum adoptionem involvisse testatur effectus, quia nati sic ex ancilla, & liberi erant & heredes. Ab hocce more alium haud adeo discrepantem Diodorus Siculus L. 4. recenset, adoptionem Herculis a Junone factam ita narrans: *Juno lectum ingressa, Herculem corpori suo admotum, ut verum imitaretur partum subter vestes ad terram demisit, quem in hoc usque tempus adoptionis ritum Barbari observant:* & fortassis ab hac origine profluxit illa consuetudo, cujus Pithœus in Glossario ex Guiberto mentionem facit, scribens: *adoptionis autem talis pro gentis consuetudine dicitur fuisse modus: intra linteam interulam, quam nos Camisiam vocamus nudum intrare eum faciens, sibi adstrinxit, ad hæc omnia osculo libato firmavit.* Ex jure Romano inter plura exempla se offert, adoptio, quæ vocabatur, per æs & liberam quæ in-

cubi-

cubiculo ante genialem thorum fiebat, teste Suetonio in Augusto c. 64. & Plinio in Panegyr. 8. Materia legalis de servis eorumque manumissionibus plura quoque continet exempla nostræ tractationi inservientia: sic ea, cui vindictæ nomen erat inditum, fiebat adhibito lictore, qui virga servi capite percusso, eodemque in gyrum circumacto, inflictaque alapa certa & solennia verba pronunciabat, quæ vide apud Heineccium p. 14. & ab hacce solennitate aliam, quam adhuc in patria servamus, derivat Strykius *de Jur. Sens.* p. 402. qua conceditur jus arma gestandi mediante alapa, id quod vulgo wehrhafftig machen dicunt. Sic & libertatis ex manumissione venientis signum erat pileus &c. Ritus nuptiarum antiquissimus, tam confarreationis quam coemtionis symbolicus maxime fuit, posteriorem fusius explicat Heineccius p. 105. In legibus populorum occidentalium multa, quæ huc pertinent occurrunt exempla; uti manumissionis per denarium, ex lege Salica & Ripuaria, ubi scilicet jactato denario tanquam manumissionis pretio, per manum vel domini vel alterius, & excusso de manibus ipsius servi, ipse actus expediebatur, juxta descriptionem du Fresne sub voce *manumissio*. Longobardi manumittebant per sagittam, Angli armorum traditione, Idem *ibidem*. Hic & locum merent varia quibus adoptiones inter hasce gentes expediebantur signa, quemadmodum Franci olim per comam & capillos, Gothi per barbæ præcisionem, Longobardi per clypeum, alii per chirothecam, unctionem &c. animum explicabant, videatur Cironius in Comment. ad tit. X. *de cognatione legali:* Gundlingii tamen hic non omittenda observatio, quam habet ad Pandectas *de Adoptionibus* p. 86. §. 3. scilicet, hujus generis adoptiones non ejusdem cum Romana esse naturæ nec efficaciæ. Tandem hic in mentem venit ritus in legitimatione Germanica per subsequens matrimonium interdum solitus adhiberi, ubi liberi patris aut matris nubentis pallium apprehendunt & ita Mantel-Kinder vocantur. Misso Iure personarum ad illud quod de rebus nomen habet,

pergimus, & hujus primam positionem quæ jus in re audit symbolis ornatam considerabimus. Cumque Romanos cum plurimis gentibus in eo consentientes deprehendamus, quod ad transferendas fere omnes species juris in re præter titulum, quem vocant, modum quoque sive factum requirant ordinarie, non mirum inde quod ubique largam symbolorum hæcce facta concomitantia segetem observamus. Hinc l. 1. C. de donat. instrumentis emtionum mancipiorum traditis, hæc ipsa tradita habentur; & claves traditæ merces in horreo conditas significat traditas l. 74. ff. *de contr. emtion.* Symbola autem Francis aliisque populis Germanicis consueta Gonzalez Tellez. in Comment. ad Tit. de consuetud. X. p. 171. sequentia recenset, scilicet glebæ injectionem, festucam, guantonem, ramum arboris, tactum ostii, gramen, calceos, cingulum, floccum capillorum, coronam, aliaque plura quorum vestigia occurrunt in formulis antiquis & Marculfi & Bignonii, videatur Lindenbrogius *in Glossar. Leg. antiquar. voce TRADITIO.* videatur Schilter *in Exercit. ad ff. p. 164. in not.* proxime ad hancce materiam pertinent signa, dominia privatorum distinguentia finesque constituentia, quo pertinent pali adusti, arbores signatæ, fossæ &c. præcipue autem lapides, qui ut distinguantur eo melius, minores alios appositos aut suppositos habent lapillos aut carbones, unde proverbium der Stein hat Eyer. vid. Oettinger. *de Jur. & controv. limitum. l. 1, c. 2.* & Stryck. *in Us. Mod. ad Tit. ff. Finium regund.* liceat quoque hic inserere remedium aliquod symbolicum, quo verendum ex alterius ædificio damnum avertimus, novi scil. operis nunciationem per jactum lapilli expediendam l. 1. §. 2. ff. de N. O. N. ritum autem describit Hahnius ad Wesenbec. ad h. t. n. 9. dicens: Es werden ein, 2. oder 3. Steine aus solchen neuen Gebäuden genommen, und über das Gebäu in confirmationem beschehener nunciation geworffen: & licet Schilter *in Exercit. ad ff. h. t.* asserat hancce solennitatem in foro nostro vix receptam, aut minus usitatam esse, nisi quod unus vel alter Notarius,

qui

qui hodie adhiberi ſolet ridicula Quiritum æmulatione eam poſſit adhibere; Grœnewegen tamen ejus uſum defendit & Cironius in Commentar. ad h. t. exemplum adfert ejusdem obſervatæ in civitate Toloſana. Expoſitionem autem hujus ſymboli ex eodem Cironio accuratam hic adſcribamus, quia plura ſimul ſingularia huc facientia continet: *Lapilli jactus*, dicit p. 445, *ſignum eſt litis & prohibitionis, quemadmodum olim haſtæ jactatio erat ſignum belli, ſtipulæ fractio inimicitiam & fœdus ruptum deſignabat, jactus chirothecæ erat duelli indictio. Verior forſitan ratio adduci poſſet, deſumta ex eo, quod ſicut apprehendendæ poſſeſſionis nota eſt ceſpitis vel glebæ aſſumtio, ita & intervertendæ, turbandæ, vel amovendæ ceſpitis jactura, cum ſcil. jactatur lapis vel gleba contra adverſarium occupantem vel nova parantem, ita ut novum opus vel ædificium turbatum & prohibitum cenſeatur jactu lapidis, i. e. ruina & deſtructione.* Circa hereditatem æque non deſunt ſymbola & quidem ſingulare repudiationem hereditatis declarans occurrit in libro Ruth c. 4. v. 7. extractio ſcil. calcei, de qua conſuetudine, quæ ibidem inter Iſraelitas antiqua dicitur, vide Kobe. Adj. Witteb. diſſert. huic porro ſimilis eſt mos germanicus juxta quem aliquibus in locis, uxor renuncians hereditati mariti, clavem, dum cadaver ejus ſepelitur in tumulum injicit; quod autem aditionem hereditatis attinet, teſte Cujacio in comment. de V. O., pro ſymbolo fuere percuſſiones digitorum, quo ſigno ſignificabatur ſe agnoſcere hereditatem, ſe poſcere bona ſibi delata. Ius in re excipit altera ſpecies quæ obligationem introducit, & firmat, id quod in ſuo quoque complexu fovet multijuga ſymbola; quorum aliquot ſed pauciſſima ſaltem delibabimus. Inter plurimas gentes dextræ datio vulgare admodum eſt ſymbolum pacti initi & Noodtius *in Probabil. d. p. 108.* ex Plauto & Iſidoro oſtendit contractui mandati dationem manuum & nomen & eſſentiam dediſſe; idem ſignum in negotio conſtitutæ pecuniæ interveniſſe Gundling aſſerit in Gundlingianis T. 2. p. 490. quid autem

tem de ſtipulatione Romana ſentiendum ſit, non conſtat inter JCtos: nota eſt derivatio Iſidori, & nova plane opinio, quaſi apud Romanos promittentes ſibi invicem aliquid ſtipulam frangendo & iterum jungendo ſponſiones ſuas agnoverint; cui haud parvi nominis viri ſuum adjicere calculum non dubitaverunt, licet nusquam apud Romanos auctores hujus ritus fiat mentio. Aſt quo magis hoc dubium eſt de jure Romano; eo certius leviſſima alias ſtipula mediiævi negotiis in Germania fulcrum dabat: aliqot enim apud Mabillon inveniuntur diplomata in quibus confirmationis gratia ſtipulam interveniſſe dicitur expreſſe, & in tabula 52. l. 5. *de Re diplomat.* inferiori chartæ margini ſtipulam videre licet inſertam. Acceptilationis olim apud Romanos ſignum fuit æs & libra teſte Cujac. l. c. Huc & pertinet *Memprisa* ſive manucaptio, cujus du Freſne deſcribit ritum; *quod qui ſe vadem præſtabant aut fidejubebant, illum, cujus ſponſores erant ad judicem deducebant, manuque illius apprehenſa ſeu capta palam coram judice & aliis fidejuſſionem ſuam profitebantur.* Unicum adhuc, quod hic præterire noluimus, quodque inter omnes fere gentes non niſi ſub variis, pro diverſo religionis cultu imaginibus expeditur, ſupereſt momentum, puta juramentum; & quo facilius hic ſuperſtitio ſuas exſerere potuit vires, eo lubentius homines ad noſtrum confugerunt ſymbolorum artificium. Antiquum admodum Iuramentorum eſt ſignum elevatio digitorum, in cujus originem inquirit du Freſne *hac voce:* adjecta variis temporibus fuere varia alia ſigna, ſic e. g. jurabant olim ſuper altare, crucem, reliquias ſanctorum & tumulos, arma, de quibus omnibus fuſius agit du Freſne l. c. Franci olim jurantes ſtipulas collectas tenebant manu & inter ipſum juramentum verſus coelum mittebant, teſte Geriken in *continuat. Schottelii* Clericorum & mulierum juramenta quoad externa ſigna quod pifferant a reliquis, conſtat, quia manum dex-

tram

tram pectori imponunt, rationem autem genuinam Gundlingius Tom. 1. Gundlingian. p. 286. exponit. Ultimum, quod restat, momentum juris, symbola recipiens est ipse ordo judiciarius, qui eadem ac cæteræ partes nostræ Jurisprudentiæ ratione symbola admittit, quibus & plures respublicæ in ordinandis judiciis interdum satis commode, interdum non sine magno incommodo, pro diversitate circumstantiarum usi sunt: ex pluribus & hic saltem paucissima eligemus: & quidem in foro Romano actor reum in jus vocans, antequam detrectantem prætoris conspectum licebat vi abripere testes provocabat, quorum proinde tangebat aures; quo symbolo, dicit Cujacius in Comment: de V. O. *monebat testes, ut rei gestæ attenderent & meminissent; auris enim memoriæ consecrata est, ut frons genio, digiti Minervæ, genua misericordiæ.* In Processu Vindiciarum observamus consertionem manuum, glebæ olim hunc in finem apportatio, actusque ille simulatus quasi irent partes & redirent: alia plura hujus indolis momenti licet colligere ex Sigonio de *Judiciis*, aliisque qui Judicia Romana explicarunt. Hodierna si examinamus fora, occurrit guarandæ apud Saxones stipulata manu præstatio; candelæ & accensæ huc pertinent in quibusdam judiciis in termino subhastationis adhiberi solitæ; ita baculus quo in curiis præcipue provincialibus saxonicis judex dum sententiæ publicantur, in signum Jurisdictionis utitur. Nec omittendæ hic solennitates, quæ, dum executio realiter, uti loquuntur ad effectum perducitur, (wird würcklich vollstrecket) obveniunt; sic igitur in terris passim Saxonicis referente Nicolai in Proc. Judiciar. p. 3. c. 8. p. 71. *executio fit in ædes per scissuram frusti lignei ex janua*, **mit Aushauung eines Spans aus der Thür**, *in agrum* **mit Ausgrabung eines Erdklosses**, *in vineas* **durch Aushebung eines Weinrebens.** Sic & immissio creditorum realis die würckliche Einweisung sub signis fit, quasi

idem p. 72. refert. Es wird der creditor in die verholffene Güther durch Ausleschung des Feuers und wieder Anzündung desselben eingewiesen. Ast cancelli dissertationis non permittunt uberiorem collectionem, finem itaque tractationi nostræ imponimus, sub ejus auspiciis, sub cujus suscepimus, cujus gloria nostrorum laborum est

FINIS.

PRAE-

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/74
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

PRAENOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO

RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

FAlluntur & alios fallunt, qui Jurisprudentiam docentes humanitatis ſtudia ac litterarum vel plane ſpernunt, vel quaſi per tranſennam inſpicienda inculcant. Quod ſi Tiberius Coruncanus teſte Pomponio l. 2. §. 3. de O. J. primus Jura profiteri cœpit, oportet ſane, Romani ante ejus tempora ut crediderint, inſtructum aliis artibus ex ipſo uſu & proprio Marte lubricum alias Jurisprudentiæ poſſe emetiri campum. Quam autem methodum licet noſtro ævo non adeo commendandam eſſe, quilibet cognoſcit, cum & Romani melius ſibi conſuluerint poſterioribus temporibus, Jurisprudentiam in artis formam redigendo. Si tamen ex duobus malis minimum eſt eligendum, majores ſane fructus poterit ſperare qui poſt exantlatos labores uti decet litterarios & philoſophicos, ex ipſa, quam dicunt Praxi Jurisprudentiam addiſcit, quam qui hiſce adminiculis deſtitutus inſicetam ita & ſterilem juris artem, quamvis regiam hujus

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/75 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

viam alias ſequens aggreditur. Ipſum hocce ſpecimen quod Tv,Præſtantiſſime Candidate, jam defendendum ſuſcepiſti, & quo eos, quos noſtræ Salanæ debes,monſtras ſtudiorum profectus, oſtendit accuratum, quo Jurisprudentia & Philoſophia jungitur, nexum & quantum illi ex hac accedat luminis. Ex animo itaque non ſolum Tibi gratulor; ſed & opto & voveo, velit ſummum Numen Te ſartum tectumque conſervare, cœptisque annuere, ut finito, quod noſtris in caſtris ingreſſus es, in aliis ſedibus Muſarum, quo jam tendis, ſtudiorum curriculo, & optimorum parentum & ptariæ & omnium, qui Te amant, ſpem, quam de Te habent optimam, adimpleas. Vale & fave.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/76
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/77
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/78
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/79
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn350666237/80
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft